L. ANDREÆ RESENSDII EBORENSIS,

POEMATA,

EPISTOLÆ Historicæ,

ORATIONES.

QVIBVS PRÆTER EXQVISITVM VERBORVM DELECTVM ET ORNATVM ET Historiæ admodum memorabiles continentur.



COLONIÆ.

Apud Gerhardum Greuenbruch.

Anno M. DC. XIII.

Continentur hoc libro.

Poemata.

VIncentius Leuita & Martyr Heroici Poematis libri duo cum Scholiis eiusdem Resendii.

Ad Deum Patrem, ob calamitatem sectarum Oda.

Ad Christum Confessio, & ad Cruci affixum.

Ad Casparem Casalem Episc. de Pastoris officio.

Encomium vrbis Louaniensis & carmina varia.

Ad Damianum à Goes, Iacobum Menœtium, Lusitanos, & Conradum Goclenium.

Epistola ad Speratum Martianum Ferrarium de vita aulica.

In obitum Iohannis III. Lusitaniæ regis conquestio.

Ad Mariam, Ioannis III. Sororem heroinam eruditissimam.

Ad Sebastianum regem, & in eius effigiem.

Hendecasyllabum ad eundem.

Ad Philippum II. Catholicum regem Hispaniæ, vt arma in Mauros conuertat.

Epiſtolæ duæ carmine; ad Lupum Scintillam I. C. & tertia ad Petrum Sanctium poetam.

HISTORICÆ EPIſtolæ IIII.

AD Iohannem Vaſæum Brugenſem duæ, prior de ÆRA Hiſpanorum: altera pro Colonia Pacenſi.

Ad Bartholomęum Kebedium, ſacerdotem Toletanum, de Eborenſis Eccleſiæ Sanctis, &c.

Ad Ambroſium Moralem Cordubenſem, Hiſtoricum Regium, de Traiani pontis inſcriptione, aliisq;.


ORATIONES II.

I. COnimbricæ habita Latine in Gymnaſio regio, anniuerſario dedicationis eius die anno cIɔ. Iɔ. I.

II. Oratio de Synodis, in Eborenſi Synodo habita, anno cIɔ. Iɔ. LXV.

L. An-

L· ANDREAS RESENDIVS, SPERATO MARTIANO FERRARIÆ EQVESTRIS ORDINIS nobili & erudito viro, S.D.



Andem redit ad te, mi Martiane, iure postliminii, Vincentius pridem ex meo tuus diuque tibi debitus. Nam quum id poema, qualecunque est, in Gallia Belgica tuo dicassem nomini, non tamen edidi: quod euestigio vterque quasi motoriam quamdam fabulam egerimus, Caroli Quinti Imperatoris auspicijs, Pannonicam illam in Turcas expeditionem sequuti. Me etenim literarium, quo delectabar, otium, regia legatio fecit deserere, tu nullo alio Cæsari obæratus auctoramento quam Christiana quæ in te est pietate, iuuentutis tuæ tirocinium, quod & laudauit Imperator, & honestauit in eo bello religioni deuouisti. Quo factum est, vt amandatis vtrimque Musis, & otio sublato, in publicum exire tunc quidem non potuerit, postea vero hactenus apud me edendi refrixerit cupiditas, præsertim in tam diuturna nostra absentia. At nunc, præstita post annos plusculos

occasione, quum mihi menseis aliquot res cum typographo alioqui habenda sit, Atque iterum nouum æs alienum apud te conflo, priori illo veterique nomine me libero, posterius recensque contractum quonam dissoluturus sim pacto, bona fide debitor interea cogitabo. Vale. Olyssippone VI. Calend. Decembris.



L. An-

L. ANDREAE RESENDII, VINCENTIUS LEVITA ET MARTYR.

LIBER PRIOR.

Vincenti referens sacri victoris agonem,
Cælesteis aditus, quæsitaq; numina iure,
Diuinosq; canam vera pietatis honores.
Munera magna Dei, nulli conlata profano.
Namq; vel Alciden, merito virtutis, olympo
Adseruit falsò malè relligiosa vetustas. 1. 2.
Falsò aras, & sacra, viro turpiq;, truciq;,
Instituit, mentita Deum, votisq; vocauit. 3.
Ingenio quicunq; valent, qui viribus hostes 4.
Edomuêre suos, patriæ qui commoda quærunt,
Æternum æternis durant sua præmia factis. 5.
Ire sed in Cælum meritis, atq; arce potiri
Æthereâ, meritoq; aras, & numen habere,
Ignea sola facit virtus, moresq; pudici, 6.
Inque Deum pietas, cui post, vel sceptra, vel orbis
Quidquid habet, caramq; nefas non ponere lucem.
Iure igitur sacras meruit Vincentius aras,
Iure vocandus erit, festam suspendite laurum
Ante fores. aris stacten, lacrymamq; Sabæam
Vrite sacrifici, pura si veste venitis, 7.
Si casti, castos enim amant bona numina. Diuo 8.
Annua lux redit celebris, Phrygis ãphora postquã 9.

Iam cælo obcultante Lyram, se pandere cœpit,
Ad Phœbi radios: vates ego carmina, quæ me
10. *Nec faciles docuêre Deæ, nec falsus Apollo,*
Sed bona mens, Pietasq; canã. Multũ ille malorũ
Passus ob immitis crudelia iussa tyranni,
Multa quoq; exanimum, mutato sæpe sepulcro
11. *Per varios casus, passum discrimina corpus,*
Donec ad arua Tagi, clarique veniret Olyßis
Mœnia. quæ quoniam laudis calor incidit, atq;
Diuinus memorare furor, tu Diue canenti
Adspira, & cœptum gliscente cupidine Carmen
12. 13. *Da plectro facili, atq; pia resonare Camena.*
IMPERIVM Diocles vlto pro Cæsare nactus,
14. *Væsanum extulerat furiali percitus œstro*
Sic animum, vt se se Diuorum sanguinis vnum
Iactaret, poniq; sibi quoque posceret aras,
Scilicet æterno indigeti. sed nescia Erinnys
Instigare semel, quæ cœpit corda, per omne
Exagitat, raptaq; nefas. vt crimine ab vno
Quod mala mens, & spreta Deũ reuerentia suasit,
Inruit eluuies cunctorum. Cæsaris ergo
Ne quid inexpertum sceleris funesta libido
Linqueret, insonti maculauit sanguine fastos
15. *Romanos. nam cædis amans, nec clarior vlla*
Re, notusue magis, decima quam strage Diocles
Sanctorum, diri post secula fœda Neronis,
Qui potuit Romæ spectare incendia lætus
Numine fatali, terram compleuit & undas
16. *Funeribus sacris. tanti conlega furoris*
Maximianus erat, pulchro vt sic ordine mundum
Partiti

Partiti, veterum pro cultu, arisq; Deorum,
Alter in Hesperio contenderet, alter Eoo 17.
Sidere. Nulla pios vexauit atrocius omneis
Tempestas vnquam. nulla tamen amplius aucti
Cæde triumphali, numeri creuêre superni. 18.
Mittitur interea ad trepidos Datianus Iberos,
Sæua peracturus sæuus mandata minister, 19.
Quo truculenta viro gaudentum sanguine longè
Mitior est feritas, moderatior ira ferarum.
Hesperiæ extremæ locus est, vbi marmore vasto 20.
Se freta diffundunt fauces immissa per arctas,
Qua, si fama vetus vera est, Tirynthius heros 21.
Perpetuam Calpen dirimens, peruadere terras 22.
Fecit. ibi flexu insinuat se pontus in oras
Terræ, quâ quondam stetit ærumnosa Saguntos,
Sucronis dixêre sinum, fluuiisq; receptis, 23.
Quo magis intus abiit, angustior. haud ita multis
Millibus à pelago seiuncta Valentia surgit,
Bruti opus Hesperiam Viriati cæde madentem 24.
Ille petens, acies palanteis vrbis honore
Donauit, positisq; diu victricibus armis,
Exauctorato compleuit milite. ventum 25.
Huc erat, & Bruti Datianus mœnia sæuo 26.
Terrebat gladio, insani dum iussa Dioclis
Et malus exsequitur malè iam consulta Senatus,
Quum vinctus post terga manus, à flumine Ibero,
Cæsareæ Augustæ Valerus præsulq; paterq;, 27.
Præsulis & Valeri, iustissima cura, ligatus
Fune trahebatur iuuenis Vincentius. olli
Vestibat malas, nigricans lanugo decoras, 28.

Flosq; tener mentum tingebat honore virili.
Durus, & æterna teter caligine carcer
Præbuit hospitium fessu, epulæq; fuerunt
Deducto prælonga cibo ieiunia, lectus
Nuda humus, & rore hiberno sudantia saxa.
Heinc macieq;, fameq;, ratus domuisse rebelleis
Præses, vtrumq; iubet sisti, nodisq; solutis
29. *Nequitia blanda, & dictis pellacibus, infit.*
Dicite canitie pater hac venerabilis, & tu
Diis iuuenis dilecte piis, & digne iuuenta,
Et mente hac meliore, Deos quur tenitis? aut quæ,
Quænam agitat miseros dementia? sumite thura,
30. *Atq; augusta pio suffite altaria fumo.*
Prima ferant venti siue ignorata Deorum
Religio, mentisue rudis malè suaserat error,
Seu mens praua fuit, facilis Iouis ira quiescet,
Si scelus admissum, facinusq; pietur ad aras.
31. *Mite genus superûm, cognataq; numina terris*
Exorare labor non est, humiliq; precatu
Fulmina depofuit, summa connisus ab arce
Iupiter, in meritos quæ iam vibrare parabat.
32. *Sæpè retento etiam proles Latonia neruo,*
Auratam in pharetram sua tela recondidit. ergo
33. *Deserat iste furor mentes, noua factio vobis*
Exitium ne fortè ferat. quin nobile robur
Hoc iuuenis generose tuum conlaudet vterq;
Cæsar, vt & ciuis Romanus, & auctus equestri
Censu, inde ad vitæ summos ducaris honores.
Te verò, quem canities veneranda senectæ
Eximit his curis, decorauerit infula, summi

Quum

Quum Iouis, aut patrij flamen dicêre Quirini.
Talia iactantem dudum Vincentius agro
Corde ferebat. & ô Valeri sanctissime præsul, 34.
Si permittis, ait, responsis ipse tribunum
Adgredior. contra cui reddit talia præsul. 35.
Fare age, namq; tibi eloquio, linguâque diserto
Dicere pro nobis pridem dederamus. & ille
Spiritus, afflatu quuius rudia ora loquuntur
Supra hominẽ, & pãdũt populis uentura, cathêdras 36.
Ante tribunitias deductis adsit, & orsa
Ille regat firmètq; animum, ne dira minanti
Mens quæsitori cedat pauefacta. Profatus 37.
Sic deinde egregius iuuenis. formamq; decùsq;,
Illi Dia sinus uirtus inlapsa per imos 38.
Auxerat, atq; loqui fidenti pectore fecit.
Sacra Deôsq; colant alij vel mille, tribune
Heu decepte nimis: nobis satis vnus, olympum
Qui regit, & terras, pelagiq; attemperat iram.
Qui genitor quum sit, simul & genitoris imago
Ingeniti proles genita, augusteq; verendus (di 39.
Flatus utrinq; amor, ante æuũ, et stata tẽpora mũ- 40.
Sortiti tres numen idem non dicere plureis
Fas Datiane Deos. ille est qui singula solo
Effinxit sermone, obitus, & originis expers. 41.
Qui quum orbis iaceret noua fundamenta recẽtis,
Nulla ope, nullius auxilio, fando omnia fecit. 42.
Illo auctore globum Titan hunc circumit, ille
Ignibus obciduo lucere micantibus æthram 43.
Tempore iussit, & hunc varijs ornatibus orbem
Depinxit, parteisq; dedit, quas dicimus anni

Horas

44. *Horas, alterno sibimet subcedere cursu:*
Deniq; quidquid habet conuexi fabrica mundi,
Illius est, templumq; Dei nos dicere oportet.
Nobile deinde animal, rectum, sublime, creatum
45. *A se, diuina præfecit imagine templo*
46. *Huic hominem, atq; luti compactum semine vilis,*
Adspectatorem, diuinorumq; capacem
Fecit vt atherea deductus origine, rerum
Auctoremq;, patremq; suum laudaret. at ille
47. *Miscuit innumeris se sordibus, altaq; cæli*
Numina nil veritus, manibus sibi numina finxit,
Marmora, ligna, cuprum, sermone carentia. dices
Forsitan hæc non esse Deos, sed signa Deorum. (liã.
48. *Fac sit ita vt memoras. signa hæc sunt. numina ca-*
Finge tenêre. voces ne hæc numina? turpia, fœda,
49. *Plenaq; adulteriis? talis tibi Iuppiter altus,*
Talis & alma Venus, vix & quod dicere possis
50. *Ore verecundo, talis membrosior æquo,*
Vt peiora tegam. fuit Hellespontiacus. ergo
Vtros vera rapit dementia? nosne potentem
51. *Qui colimus dominum stellati verticis, vnum*
Quem colit aula poli, tremit & Deoidos orcus,
Quem noscit natura Deum, quem nosceret ipse
Si foret exemptus densa caligine mundus,
An vos qui colitis portenta, Deosq; pudendos?
Nec malus est error, qui nos agit. ingere plagas,
Saui, dilania, macta quantumlibet atrox.
His etiam canis, vitam quod prodigat, acre
Robur inesse puta: satis est animosa senectus
Oppetere, & Christi poterit præbere sacerdos
Cerui-

Ceruicem vltori gladio, nec fiet haruſpex,
Aut lemurum flamen nigrorum, ſed mihi fruſtra
Blandiris Datiane, ſciat me Cæſar vterq;
Eſſe virum, quem non recto depellere poſſint
Blanditiæ, terrorue necis, promiſſaq; vana.
Sed quid ego hæc? dirum iam dudum corripe ferrũ
Corripe, meq; piis heroibus adde ſatelles. 54.
Proieci vitam. maiusq; inlabitur imum
In pectus numen. Deus eſt iam ſumite pœnas.
Sumit, veſtrorum de contemptore Deorum.
Talibus orantem commotior ira tyranni
Excipit. ergo nocet mentem lenire ſuperbam,
Irritaq; magis precibus rationis egentem 55.
Qui mulcet. ſed iam meritis rhetorcule vane
Digna tuis referam. pulſabere, verberaq; inter 56.
Experiêre, mori quid ſit. fruſtraq; ſalutem
Garrule quando negem cupies. ite ocyus, ite,
Ferte crucẽ, ferte omne genus quod torqueat. atq;
Illud honore carens ſenium, & ſine mẽte proteruũ
Cogite in exſilium, extorris conſciſcat vbi ipſe 57. 58.
Fata necemq; ſibi, noſtro nec inutilis annis 59.
Obcumbat gladio hunc fidibus diſtendite raptum 60.
Membratim. Diuos ego te proſcindere verbis 61.
Auguſtos hodie quid ſit, male ſane docebo.
Faxoq; dediſcas linguæ conuicia praua. 62.
Nec mora, ſublimis rapitur, crepuêreq; membra
Intenſo luxata trocho, digitiq; trahuntur, 63.
Incluſiq; prius micuerunt corpore nerui.
Sic quum Mulciberi Phœbeias vortice laurus
Ambeſt flamma vorax, crepitu depaſcitur arbos 64.

Viſa

Visa queri, & viridi spoliata decore comarum
Turpiter attonsos ostentat peruia ramos,
Ingemit, & claro Christum vocat ore. quid illum
Præses ait, vocitas, qui nusquā est? cede monenti,
Et miserere tui, si sat potuisse domari,
65. *Dum latus integrum est, dum nō dilancinat vncus*
Hoc miserum corpus, quod iam, nisi cedis atroci
Supplicio, vt meritū est, malè discerpetur in auras.
66. *Ille sub hæc, ne vero, ait, impurissime, ne me*
Sic terre, nêue insulta. nos ista, fatemur,
Excruciant, nec enim nobis sunt ferrea membra.
Nec tu adeo leuiter nostris cruciatibus instas.
67. *Sed tormenta, cruces, fastidia longa catastæ,*
68. *Bosq; Perillæus, pœnarum & quidquid vbiq;*
Terrarum est, Christo debemus. si exigit ille
Vulnera inexpertus, quæ nec prior ipse tulisset.
Forsitan hæc fugienda forent. nunc, omnia passo,
Quæ meminisse potest animus, non paruula saltem
60. *Gratia reddetur? scelus ah scelus. incute tortor*
Vim flagris, animosq; cie. tu deniq; quantum
Ingenio furiisq; vales, insurge tyranne,
70. *Si mutare fidem potis es. prô sæua nocendi*
Iure malo rabies. circumstant agmine facto,
Ceu quum forte lupi, siccis vbi faucibus agnum
Inuênere truces, miserum manduntq; trahuntq;
Quisq; sibi, & rabido discerpunt corpora morsu.
Haud secus exacuunt iras, herôaq; sacrum
Exercent pœnis. vncis hic sæuit acutis,
71. *Ast hic pectinibus costas & viscera nudat.*
Intima perscrutant, candenti forcipe vtrumq;

Vellicat

Vellicat ille latus.si brachia dura fatiscunt,
Stat super increpitans,vireisq; resumere præses
Non finit exhaustas.quin vrget pigra flagello
Pectora tortorum.cui sic fortissimus heros
Subridẽs,Bene habet,nam me tu vlciſceris,inquit,
Qui torquêre cupis.quid agis non sane? quid istos
Non merito vexas? subcedant robora,nondum
Victa labore iube, crebrescant verbera sæua,
Inconcussus ero. iam me durauit IESVS,
Audiuitq; bonus,nec enim non protinus audit,
Vota nec eludit,vester ceu Iuppiter ille. 72.
Namq; Ioui lapidi plenam quum thuris acerram 73.
Mente datis pauida stolidi,procumbitis ante
Marmore cælato pressum puluinar.at ille 74.
Nec prece adoratus dat opem, nec sentit honores, 75.
Heu ridemur,ait,nunc planè ego torqueor ipse.
Ecquis erit vestrum ô iuuenes,iniuria tanta
Quem moueat? pulchro dignabor honore merentẽ.
Sic ait,atq; rogum rapidis incendere flammis,
Semustumq; iubet duræ substernere crati. 76.
Atq; super torrendum igni componere diuum.
Vix deductus erat, quum demirante tyranno,
Sponte sua cratem intrepidus conſcendit, ouãsq;.
Illum dira salis prunis adsperſa crepido 77.
Ignitis grauiter torret, liquidumq; metallum,
Lamnaq; candentis ferri penitissima adurit
Viscera, versatur testis cauteria fumant 78.
Aruina madefacta,fluit cruor vndiq; riuis, 79.
Clarisona ille tamen,durato pectore, Christum
Voce ciet totumq; hac adspectacula cælum

Cum

Cum clamore vocat, Diuosq; precatur adesse.
Carnificesq;, suos, stupidumq; pudore tyrannum,
Corporis, horresco referens, inuitat ad esum,
Frustaq; tosta sui circum pallentibus offert.
I nunc, qui priscos celebras heròas. inani
Carmine, Castalios quantumuis ebibe fonteis,
80. *Ite vetustatis per tot monumenta profanæ*
Admiratores, Muti, iactate cothurno
81. 82. *Grandiloquo flammas, adq; aurea sidera versu*
Regulus insigni, Musaq; potente, vocetur.
83. *Nos tua Vincenti tenui licet ore canamus*
Gesta Dei si quem pietasq;, fidesq; mouebit,
Quæ maiora fero, quæ vere heroica narro,
Semper honore tuo per secula longa manebunt.
Hæc vbi monstra videt, nunquã sperata, tyrannus,
Summe Deûm, quæ nã hæc cõstãtia Iuppiter, inquit,
Prodigiosa animi? nihil est in corpore toto
84. *Non lacerum, non omne vstum, non omne cruentũ,*
Lingua inlæsa malis manet, ac mens ferrea frangi?
Ac frangere tamen. cæco introcludite in antro,
Atq; arctate pedes neruo substernite clauos,
Testarum fragmenta. mihi dabit improbus omneis
Numinibusq; hodie multo cum sanguine pœnas,
Inueniam quascumq; FVIT spelunca sub ima
85. *Angusto tellure aditu, densisq; tenebris,*
Nulli vnquam soli penetrabilis, horrida, furua,
Quam lemures coluisse ferunt, & tristis Auerni
Numina Persephonen, Ditem, Minoaq; sæuum.
Heic herôa, pedes & vinctum brachia neruo,
Conclusêre sacrum, atq; immanis pondere saxi

Muni-

Muniuêre locum, æternâq; in nocte relinquunt. 86.
Nunc sit sancte pater, qui sidera lege coerces,
Fas memorare mihi, quæ noctem euicerit illam
Lux immensa poli. uasto recubabat in antro 87.
Tristia conuoluens inter solatia corpus,
Quum subitò splendore nouo diuerberat antrum
Lampas, & horrendæ speluncæ in parte pependit.
Vt quum dississus uibratus ab æthere fulgor 88.
Nubibus, aut quercum, aut annosam corripit ornū,
Hæsit, & obscuram circum uaga lumine flamma
Dispulit æthereo noctem, cælumq; serenat.
Haud aliter clara fulgebat lampade carcer.
Cælestumq; chori adsistunt, & uincula laxant,
Atque cubile rosis sternunt beneolentibus. horum
De numero quidam niueis pulcherrimus alis, 89.
Et facie quali Phœbus depingitur, addit.
Macte animo, & uirtute tua, sic itur ad astra.
Iam spectata fides satis est. en meta laborum,
En tibi finis adest, iuuenis fortissime, nostris
Digne choris. utinam simileis tibi regia cæli
De terra adciperet multos, Diuûmq; ministri 90.
Sæpius è summo delapsi uertice, taleis
Lætitia Christo ferremus. secula surgent 91.
Praua, odiosa bonis, & inani perdita luxu,
Dedita auaritiæ: paucis reuerentia Diuûm,
Paucis recta fides, æqui obseruantia. paucis.
Quisq; suo inuigilans lucro, nec sacra, nec aras,
Augeri modo rem speret, reuerebitur. ipse
Pro quo nunc pateris, uasti sator orbis, in illis
Temporibus uilebit, erunt quasi numina genti

Cæcæ Luxuries. funesta pecunia, lucrum,
Relligio simulata, doli, Venus, arma, rapinæ,
92. Subdola blandities, & fraudibus oblita uita.
93. Sed tibi cælestis pro talibus aula patebit
Vincenti meritis. quare uenerare tonantem,
94. Qui pro se miseros, nunquam spe pauit inani.
Hæc ubi dicta, cauo exoritur concentus in antro,
Certatimque ruunt uoces, sonitúmque cauernæ
95. Audijt vmbrosæ excubitor. miratur opacas
Sic resonare domos, adrectisq; auribus adstat.
96. Sic ubi Thespiades circum Parnassia tesqua
97. Deducunt choreas, uel floribus Hippocrenen
Velatæ cingunt, querula testudine pulcher
Cynthius it medius, carménq; inceptat Apollo,
Increpuitq; lyram. respondet turba Dearum,
Turbaq; Naïadum saltat, faciléśque Napææ.
98. At Fauniq;, Inuusque, & capripedes satyrisci
Immortale melos siluis mirantur ab ipsis,
Eminus, haud aliter rimas egressa per arctas
Musica cælestum, radiúsque latentis in antro
Luminis, attonitos turbauit gurgitis atri
Custodes. gelido soluuntur membra timore,
Et cita defertur stupefactam fama per vrbem.
Vndique concursu propero studioque uidendi
Plebs ruit, inq; uicem ecquando Tarpeïa quærunt
99. Fecerit hæc rupes, quando qui præsidet Albæ
Iuppiter Iliacæ? ut tandem rediére tenebræ,
Splendor & æthereus spelunca excessit opaca.
Nil, Datianus ait. prosunt mala carmina sagæ,
Nil Circæa, nihil rabiosa susurra potentis

Colchidos, vt moueant quãuis medicamina maneis, 100.
Te mihi præripiant. hæc fatus, membra foueri
Mollibus vsta toris iußit, taboqúe fluentem
Siccari, vt pigros vbi mox constrinxerit artus 101.
Frigus, & adducta vulnus cute torpeat, atq;
Iam concreta rigens solidauerit vlcera sanguis,
Denuo tum renouet plagas, rumpatqúe flagella
Per grauiora cutem. qui tum concursus ad ægrum
Semianimumq; fuit? iuuenes coiere, senesq;,
Et pueri, matresqúe piæ, fusiq; corona
Inrorant lacrymas, & tabe fluentibus ora
Vulneribus figunt àuidi, lambuntqúe cruorem.
Hac ductis leuiter digitis per corpus obusti,
Suppurata, nihil stomacho horrescente, focillat. 102.
Hac, Pelusiaca sanie erumpentia putri 103.
Vlcera desiccat plagula, clausoqúe recondit
Relligiosa sinu, domui monumenta sacrata
Tutamenqúe suæ. tenueis hic Zœlica lina 104.
Dissecat in philuras, medica bonus arte, ligatq; 105.
Donatum vita quem iam putat. ecce piorum
Ille manus inter, quod vix sensere, beatam
Mole à corporea vita fugiente, ministris
Reddidit æthereis animam. cecidêre comantes 106.
In terram bolides, longoq; per aëra tractu 107.
Conludunt, & crine, poli summa arce, cometes
Candidus argenteo stetit, humanaqúe coruscus 108.
Effigie, nimio fallebat lumine visum.
Ac veluti formam quum quis Titanis in ipso
Iam cæli medio, vel quum iuga summa pruinis
Candida Rhiphæis, durataqúe sidere brumæ,

Aduerso intuitur Phœbo, visúmq; fatigat
Luce repercussa multum, frustràq; moratus.
Christus erat, qui tunc adstantibus ordine cunctis
Cælitibus, regione poli cum luce serena
109. *Sederat, vt cæli iam dignaretur honore*
Contemptorem ignis, contemptorémq; minarum,
Ob decus excelsi venerandáq; iura Tonantis.
Obstupuêre viri. bona pars lustralibus vndis
Eluit antiquum errorem. tum vana Deorum
Orgia priscorum, ritusq; arásq; profanas,
Dispuduit coluisse diu sub imagine ueri.
At non prætoris, diris agitata, quieuit
Mens. rabiemq; vomens atroci pectore, falsum
Se doluit, multúmq; Deos vltricibus iris
Parcere nunc queritur, nunc se lentúmq;, pigrúmq;,
110. *Supplicium ad satiem qui non desumpserit, odit.*
111. *Tum, quæ sæuitiæ superabat sola facultas*
Et locus, exanimum rapit ad ludibria corpus.
Non secus atque leo, sequitur si fortè uirum, quem
Arentis Libyæ in campis fugit impiger ille,
Adscensáq; feram despectat ab arbore tutus,
112. *Infernè tamen illa fame, rabiéque coacta,*
Infremit horrendum. tum si fugientis amictum
Repperit, heic iras rabiosáq; pectora frangit.
Adrectisq; iubis morsu discerpit, & vngui,
113. *Non aliud datur, in spoliúmque ferocit inane.*
Talis erat prætor. nam primum exsangue cadauer
Præcipit exponi prædam alitibúsque ferísque.
114 *A scelus, en trahitur per terram nobile corpus,*
Et conuerrit humum, canibúsque per auia tractu,


Exarat

Exarat impastis iter. vt sensêre volucres
Nidorem exusti, vibrata ex æthere penna,
Obcurrunt, & longa feræ ieiunia passæ.
Sed nullæ uolucrum, nulla tetigêre ferarum,
Quin circumfusæ, visu mirabile, rostris
Demissis abeunt, numénque iacentis adorant.
Extremáque lupus feritate notatus, ab illo
Tempore quo fertur lacerorum membra Lycáon 115.
Sanguinolenta virûm mensis posuisse, refugit
Tangere. nec gladius, nec terror adegerat illum
Quuinsquam. tu corue rapax, qui busta frequentas,
Quiq; cruces, fœdaq; cadauera condis in aluo,
Tu sonitu alarum, & pinnarum verbere terres
Audacem lupum suadente fame concurrere tauris. 116.
Ingluuiémq; tuam nunc primum uincere doctus,
Crocitu valido alitibus, rostróq; minatus,
Arces nequa sacrum tentet uialore cadauer. 117.
EN posuêre truces irás volucrésque, feræq;.
Quid Datiane animo voluis? parcísne cruente
Morte obita cui parcit auis? donásne sepulcro?
Non. freta tentabo. insanis rapietur ab vndis, 118.
Teq; tridentipotens uoco, ferq;, referq; volutum
Per scabra muricibus, praacutáque saxa, vbi demũ
Ilia rumpantur. deformia corpora phocas
Visceribus pascat. certamenta satelles 119.
Eumorphus cui nomen erat, fera iussa capessit.
Palpo malus, quales qui regum nulla pudenter
Facta probant, quodcumq; libet, laudare parati.
Et primum insuitur taurino tergore corpus,
Vt quum polluto materna cæde, parantur 20.

Culleus, & serpens, & iuncto simia gallo.
Addita deinde mola est, quã spartea vincula nectũt,
Et celeri lembo deducitur. alta secabat
121. *AEquora tantum Ebuso, quantum Sucrone remota,*
Quum proiecit onus tumidas Eumorphus in vndas,
Sed super inuehitur saxum, mirabile visu,
AEquore, semotumq́, procul petit ocyus Euro
Litus. vt hiberno quum turbidus amnis ab imbre
Rupe cadit, spumam videas concrescere canam,
Ac ferri amne cito, visum fallentibus vndis.
Saxea sic moles pellente reducitur astu,
122. *Adplicuitq́, sinu, propterq́, Zacynthia corpus*
123. *Litora, sublatum, quod tunc valuêre piorum*
124. *Insidiæ, crudo sepelitur cæspite. deinde*
Vrbe Valentina, rabie cessante nocendi.
125. *Donec Sidonijs illud par vile virorum,*
Hesperiam extremam patefecit, virginis alter
Rapata ira, ast odijs alter stimulatus acerbis.
Quæ quum vesanus vidisset nauta, phaselo
126. *Inquutit auräi flatum, & caua suppara pandens,*
Nequicquam insequitur pone, & labente carina
127. *Adnixus verrit spumantia cærula tonsis.*
Atq́, petit litus, quo funeis, vincla, molamq́,
Inuenit attonitus, desutaq́, tergora. verùm
Conspiciens nusquam per litus inane cadauer,
Venit ad insani non gratus præsidis ora
Nuncius, atq́, aureis dictis onerauit amaris.

LIBER

LIBER POSTERIOR.


Amq; dies aderat, currentibus ordine fatis,
Qua visum superis euertere regna Gothorum, 1.
Regna augusta diu, quæ tunc Rodoricus habebat 2.
Sceptrifer infelix, tanta qui clade puellæ
Stupratæ exsoluit pœnas. inrupit ab Austro 3.
Afrorum genus omne, Iubæ quâ regna fuerunt,
Hispaniq; iugum imposuit. seruibat amarè
Libera gens olim. verùm licet illa tyrannis
Acris erat, populiq; iugum crudele profani,
Non tamen vsq; adeò graue, quin sacrata liceret
Priuata saltem sub relligione tueri
Templa Dei miseris, Diuisq; potentibus aras
Ponere, lustra ferè donec Phœbeius axis
Triginta in se se rediens euolueret, atq;
Barbarus Abderamen quo non crudelius alter 4.
Sauijt in Tyrijs odiosum nomen IESV,
Hispanum inuasit maiore tyrannide regnum.
Ille augusta Dei destruxit templa, nec vsquam
Sacra sinebantur victi celebrare, nec ordo
Pontificum mansit. Diuorum busta sine vllo
Delectu sparsit. multæ periêre piorum 5.
Relliquiæ herôum. fudisset bellua cunctas,
Ni profugi ereptas diuersa per arua ferentes
Montibus Asturicis clausissent. pars ea regni 6.
Hispani Boreæ, & plaustro subiecta Bootæ,
Propter inadcessos aditus, intacta manebat,

7. *Vnde & restitui cœpit. sic tempore sedes*
Mutarunt illo Diui. Et iam crebra tyranni
Vastantis Celtas permistum nomen Iberis
Fama Valentinas arces miscēre tumultu
Cœperat. extemplo pauci cum præsule ducti
Sorte viri, adsumunt corpus venerabile sacri
Herois, donóque obculti noctis opacæ,
Conscendere ratem. volat illa per æquor, & inter
9 *Herculeas Abylen fertur Calpénque columnas.*
10. *A Libe deinde legunt pelagus, flectúntque carinam*
Ad promontorium dextra quod prominet altè
11. *Mentitum effigiem rostratæ nauis, Achiui*
12. *Dixerunt Hieron. si námque annosa vetustas*
Vera refert, odijs olim Iunonis iniquæ
Amphitryoniades oris adpulsus Iberis,
13. *Hinc quum Geryonen, quem gleba Erytheia feraci*
Insula tergeminum claudebat, ad arma cieret,
Relligione loci ductus, quum cerneret ipsos
14. *Nocte Deos alto cæli de cardine labi*
In terras, totóque sacris vaga fulmina monte
Ignibus insultare, Iouis contorta lacerto,
15. *Suppliciter coluit genitoris numen, & aram*
Exstruxit, noménque loco Sacrum indidit. illi
16. *Indigenæ templum titulo posuere superbum*
17 *Herculis Argiui. quo quum impegere carinam*
Numine vectoris *adpulsam ad litora nautæ,*
Hoste vacare locos, nullíque frequentia tesqua,
Atq; inculta vident. igitur formidine dempta,
Abstrusere sacrum fida telluris in vmbra
Pignus, & erecta super ara, & paupere fano

Cespite

Cespite congesto. sibi deinde mapalia lenta
Texuerunt, humilésq; casas de fronde genista. 18.
Indutiq; sagis, duram paruóque paratu
Ducebant uitam, contenti paupere agello,
Siluestriq; cibo & fluuio, citra vrbis amœna 19.
Delicias. vt qui prædam rebantur opimam
Hostibus in mediis, victis mage posse nocere,
Quam fore ab incursu tutam prædonis auari.
Nam quum falcifero sub rege, prioribus aui 20.
Temporibus, mortale genus sine crimine, querna
Eximeret vel glande famem, vel sponte creatis
Frugibus, atq; sitim fluuio sedaret, agebat
Otia tuta, nec ad lituos pallebat inancis
Exsangue. At post quam scelerata pecunia regnat,
Luxuriesq; inuenit opes, prædámque tyrannis,
Nusquam tuta quies, nusquam secura. dolosi
Insidiatores passim. seu vela per amplum
Nereades, glaucusq; domet tibi cærula ponti 21.
Auia Neptunus, possis ne tutus abire,
Heu malus infestat pelagus pirata. nec nudis
Tutior est tellus. plenum mare, plena malorum 22.
Terra. *polum prædis altus dispescuit æther.*
Ergo vbi paulatim sacra custodibus aræ
Res adcreuit, erat quamuis non magna suppellex,
Inuidit fortuna tamen. nam regulus aram
Euertit Libys. & gladio hos perquisiit, at illos 23.
Seruitio pressit, donec fortissimus heros
Pannonio genitore satus, Lusi inclyta regna 24.
Alphonsus statuit, quo nec melioribus armis,
Nec maiore animo regem, per stemmata prisca

Ordine Originibus ductis, tulit orbis Iberus.
Is iuuenum denis sociatus milibus, oram
25. *Inter Anam rutilumq́; Tagum vastabat, IESV*
Adsertor vindexq́; pius. quæ cognita postquam
26. *Fama est Ismario, qui tunc ditione tenebat*
Bætica regna, suæ dictam de nomine gentis
27. *Vandaliam finxêre Gothi, Lusiq́; vetusti*
28. *Perfusum Oceano regnum, quo vindice dextra*
Cœperat arceri, reges sibi iuxit amicos
Quatuor auxilio, sexcenaq́; milia pubis
Delecta, Alphonsumq́; petijt. vbi paruus in anguem
29. *Contortus rigat arua Chalybs Mouorte cruento*
Excepti cecidêre duces. fusaq́; cohortes
Ismarij. quuius fuerant vbi castra cruore
Tincta nigro, prædam repetit dum miles, Ibera
Inter captiuos aliquot de gente reperti,
Quos fera barbaries vili adfligebat equorum,
Seruitio. veneranda duûm præfulsit in illis
Canities, canôsq́; decens reuerentia vultus.
His vbi ad Alphonsum ductis, data copia fandi est,
Qui natu visus maior, sic orsus. Ibera
Gentis ait, Regniq́; tui clarissime uindex,
30. *Quo ductore Deus quarto nunc deniq́; seclo*
Respicit Hesperiam propius, nos sanguine cretos
Nosce Valentino. promontorijq́; colonos
Obcidui, quod non procul hinc excurrit in æquor
Atlantis. Nostri proaui patria vrbe relicta,
31. *Quum fugerent odium diri Abderaminis, in hisce*
Delituêre locis. Martyr Vincentius ollis
Dux fuit. aduectum secum abstrusêre latébris.

Bisse-

Bissenisq; data est senibus custodia, iure
Iurando obstrictis, & relligione, sepulcri
Nequando arcani in vulgum secreta venirent
Prodita. quod siquem abstulerat Libitina, vir alter 32.
Sufficiebatur. forte hoc, ne infirmior ætas
Detegeret secreta patrum. rebantur in ara
Conclusum iuuenes, susceptaq; vota sacratæ
Soluebant aræ, quâ præsentissima semper
Numina erant. ipsi pueri, seu inclyte Diue,
Vidimus attoniti fieri miranda, referre
Quæ longum. Interea Pœnus quum nomine, tum re
Barbarus Alboaces, nostros ante ora parenteis 33.
Nostra trucidauit. uincti spectauimus illud
Triste nefas. vtinamq́ue mihi licuisset eodem
Care pater leto tecum subcumbere, & idem
Hanc animam hausisset gladius. sed maluit hostis
Parcere mancipijs, nec nos sua commoda ferro
Lædere, quin Tyrijs miseros diuendidit auro.
Hunc & ad vsq; diem, quo te rex maxime cerno,
Libera compedibus nunquam mea crura fuêre.
Dixit. at Alphonsum iam dudum inuaserat ardor,
Menteq; voluebat quânam ratione, vel arte,
Nancisci Diuum quiret tellure latentem.
Nam rem difficilem Pœnorum mœnia circum
Reddiderant, tutúmque satis penetrare recessus
Non erat occiduos, perq́ue impacata vagari. 34.
Interea veniam Tyrij, fœdusq; pacisci
Ardebant, saltémque dies requiescere paucos
Iure tributorum orabant, pacemq; sequestram.
Ollis terdenos pepigit, & nostraq; periclo.

Insi-

Insidijsq;, petit montem cognomine sacrum.
Nam loca iam densis, multos neglecta per annos,
Horruerant siluis, atq; indiscreta manebant,
Nec desiderium prius hoc rex inclytus armis
Expleuit, quam vi regnis excedere Lusi
35. *Cogeret audaces Tyrios, & Olysipo Christum*
Denuo iam coleret, cui tam memorabile nomen
Numina seruabant, vt multo clarior isto
Nunc fieret titulo, fuerat quam tempore magnum
36. *Quo Laërtiaden iactabat, condita ab illo*
Errores inter varios, variasq; procellas
Et salis ærumnas. etenim post Pergama victa,
37. *Quum malè concordes nec conuenientibus æque*
Imperijs, vni nollent parêre tyranno
Ductores Graiûm, sparsi quâ quemq; vocabant
Fata sua, à patria procul errauere per æquor.
38. *Oceano verò, præter Menelaon, Olysses*
Turbine ventorum adpulsus, quo flexa receptat
39. *Terra sinu pelagus, Lunæ alta cacumina montis*
Inter, & insigneis Leneo & Pallade colles
40. *Barbarios, deflexit iter, portúmque preendit.*
41. *Intima deinde sinus, cunctosq; terraq; recessus*
Explorans, captusq; loco, nam rura videbat
Morigera, & cæli faciem sine nube serenam,
Hostiaq; alta Tagi, inq; vicem certamen aquarum,
Amnis vbi frustra luctatur Tethyos vndis.
Nam violenta sali postquam se colligit ira,
Moleq; consurgens tumidos exsuscitat æstus,
43. *Flumen agit refluum, longeqúe per arua refundit.*
Ad socios tandem redit, & subducere classem

Impe-

Imperat, atq; hyemem portu contemnere sæuam,
Indigenásque sibi vario sermone peritus
Deuinxit. nam lingua ferè communis & illis, 44.
Vt Dionysæi ductis ab origine Lusi,
Inuenta est. vrbiq; locum, si condere vellet,
Auxiliúmque dabant faciles. tum cura Mineruæ
Dux Laërte satus, comitum exorante caterua,
Admonitúque Deæ, condit sibi mœnia parua
Colle super, templúmque tibi Tritonia virgo. 45.
Signaq; naufragij suspendit, aplustria classis 46.
Rostráq; , & insigneis Troum gestamina parmas.
Erroresq; suos illic, Asiæq; ruinas
Venturis posito signauit carmine seclis,
Palladi de Phrygibus victis Ithacensis Olysses
Dedicat hæc. vrbémque suo de nomine primum
Finxit Odysseiam, quæ nunc clarißima toto 47.
Cognita in orbe, ducem fama super astra pelasgum
Tollit. ea poterat securus viuere Olysses
Inter Lusiadas, nisi amor reuocasset amatæ 48.
Coniugis, & patriæ, gnatique, & cura parentis,
Cum quibus est homini paupertas dulcior ipsa,
Quam quot habet Libye latißima iugera, seu quot 49.
Crœsus diuitias olim, vel deniq; si cui
Copia rerum alij maior fuit, exsul & orbus
Dum modo cogatur patria non viuere terra.
Post duo lustra igitur Graiam quam Martius heros 51.
Vrbem restituit, templisque ornauerat, illum
Perscrutari iterum tuto iubet æquore montem.
Quumq; propinquassent, hc omne furente procella
Litus inadcessum, promontoriúq; viderent

Circumquâque tegi mucronem adspergine caua,
Qua natura loci est, qua parte impingere possent,
Harebant dubij, cecidit quum prona furentis
51. *Vis pelagi, strauitq; mare, & stagnantibus vndis*
Vecta ratis placide, suprema adpellitur ora.
Ecce autem egressu, corui nigrantibus alis
52. *Obcurrere pares, visiq; adplaudere saltim,*
Hospitibus cicures, praeuntque per auia montis
Atq; reuertuntur sapè, admirantibus illis.
Tum senior, firmate, inquit, vestra omina Diui.
Magnum aliquid socij mea mens prasagit ab hisce
Augurijs, nec enim fieri sine numine credo.
Vt ruit vnda sali subito, vt siluere tridentis
Murmura vidistis. nunc ad nos ecce subinde,
Illum vsq; ad tumulum quum peruenere, reuerti
Cernitis hos quibus aut rerum prudentia maior,
Aut datur ingenium diuinitus, unde futura
Coniectare fuit mos. & si credimus ipsi
54. *Nil temere oscinibus. quin prepetis omina penna*
55. *Obseruare nefas nobis, & ouatio corui*
Vana superstitio est, sanctum fortasse cadauer
Qui potuit seruare prius, ne prada luporum
56. *Neue canum fieret, neue alitum oscenarum,*
Tempore quo nemorum tractum est in deuia, coruus
Idem etiam possit nunc demonstrare sepultum.
57. *Sic ait, atq; iteris ductores poné sequuti,*
Deuenére locum tumuli. super adstitit ales,
Et modo scalpuriens glebam, modo gutture ouanti
Signa dat. adcipiunt lati, duróq; recludunt
Dente ligonis agrum, donec uiolare sepulcri

Con-

Contigit inclusi tabulas.clamore resoluunt
Ilicet ora pio, & recinunt Pœana vicißim, 58.
Gauisi haud aliter,quam fossor pallidus auri,
Quum vena penitus fugientis pondera massæ
Ignota adsequitur,tremulis complectitur vlnis,
Expleriq; nequit.sic omnis in oscula turba
Certatim ruit.efoßumq́ue aperire ferétrum 59.
Vt cœpere,notis adparet lamina plumbi
Incisis.tunc aucta fides,maioré que Diuum
Relligione colunt,vero quem littera prodit
Nomine.at indicium maius,maioráque signa
Virtus dia dedit.manibus temerare profanis
Relliquias sacras ausus,parua ossula quidam
Clam socios,ausu pius & sceleratus eodem, 60.
Subripuit.factique diu nec pœna moratur.
Namq; repentina correptus imagine leti,
Omni oculorum vsu subito priuatur, & amens
Colla quatit,titubántque pedes,paßóque capillo
Bassaridi Ogygiæ similis prouoluitur.humor 61.
Defluit è toto,crebróque trementia pulsu
Membra fatiscebant,ceu siquis hydrargyron acre
Ebibat, & tremulum gerat ægro in corde venenum
Ter conatus erat pedibus consurgere,térque
Defectus virtute cadit,facié que volutus
Præduram tutudit glebam,vomuitque cruorem
Naribus, atque genas concreto sanguine turpat.
Adcurrunt socij ignari,prensumq; rogabant,
Queis nam intemperijs ageretur. at ille parumper
Respirans,gemituq; trahens à pectore vocem,
Parce pio sceleri Diue ô venerabilis,inquit,

Pa-

Parce precor. pietas, pietas, mea crimina solum.
O ego qui potui tantum cognoscere numen
Hac mercede doli. placet experientia veri.
Per te, perque Deum, tibi qui dedit esse potentem,
Da veniam misero. fateor mea furta. cupiui
Parte tui locuples fieri, & te diue penates
Fortunare meos. pudet heu sancta ossa pigétque
64. *Sacrilega attrectasse manu. vos denique ciues*
Hos nudate sinus, & quod mea viscera torquet,
In lucem furtum proferte, & sumite nostro
In capite exemplum. sic fatur, & ecce reliquit
Vertigo cerebrum, caligantésque tenebræ
Diffugêre, tremor composta pace quieuit,
Atque vigor neruis rediit, solidatáque membra
Sustinuêre virum. tunc ima praeobcupat illis
65. *Corda timor, gelidóque artus torpore pigrantur,*
Numinis & maior subiit reuerentia mentes.
Stabat adhuc pelagi facies, leuísque ciebat
Aura viros, properi soluêre è litore. quumque
Candida cœpissent committere lintea ventis,
En procul eliso pernicibus aëre pinnis
Labuntur corui. proráque hic constitit alta,
Ille ratis puppim delegit. vterque fidelis
Qui post expositum alitibusque ferisque cadauer,
Martyris egregii non deseruere sepulcrum,
66. *Vsque ad Odysseias arces, multosque per annos*
Durauere sui circum monumenta patroni.
67. *Siue illi tantum vita, tantumue dierum*
Emensi fuerant, seu deriuatus ab illis
Fœtus erat, promontorio qui visus in isto,

Secula

Sæcula tot, Pœnis causam dedit, vnde vocarent
Coruorum montem. nostri, de nomine facti
Vincenti, dicunt, vbi templum immane Sabæo
Illi halat fumo, & flammis conlucet odoris.
Ast vbi iam portum, & zephyris mulcentibus vrbem
Dulichiam tenuêre, rati sub nocte silenti 69.
Fallere concursum vulgi, expectare tenébras
Visum est. vt tandem conclusit vesper olympum,
Noctis & vmbra ruit, Diuæ penetralia Iusta 70.
Sacra petunt tacitè, & positis custodibus arci,
Mittitur Alphonsi qui magni iussa reportet.
Hæc vmbra latuêre viros, vrbemq; sepultam
Nocte intempesta requie somnôq; profundo.
Non ita sed famam, quæ non dormitat in æuum 71.
Plena oculis, habitans tecta omnia, compita, vicos,
Obseruatq; foreis, rimîsq; introspicit, atque
E tenui verbo, sua per figmenta voluta, 72.
Crescit in historiam. dubio mussare susurro
Primum inter notos cœpit, mox deinde volâtu
Pennigero, & toto iam se conamine maior,
Venisse ingeminat Diuum, ciueîsq; tumultu
Miscuit, & Iusta trepidos deduxit in ædem.
It clamor cælo, resonant sacra æra, tubæq;. 73.
Pars ad pontificum ardebat deducere sedem,
Pars aliô, ferrumquê parant, atq; arma minantur.
Composuit tandem studia hæc contraria vulgi,
Consallus nimia vultus grauitate tribunus
Militiæ. stetit, indicensq; silentia dextra,
Tela tenete viri, dixit. cui bella paratis?

Cui gladios? bellúmne ferunt bona numina vestra
Vrbi aduecta? pij num diui sanguine gaudent
Ciuili? scelus est diuos fœdare cruore
74. *Non pietas. Scythica hæc expostulet ara Dianæ,*
75. *Talia Teutates, atq; hoc immanior Hesus*
Numina cæde virûm calida exhalantia semper
76. *Exquirant, Idæa suos Berecyntia Gallos*
Incidi tulerit, quum carmina crine soluto
Feraleis aras circum exululare solerent.
Nos verò nebulis quo lux euoluit ab illis
77. *E cælo demissa. fero sic more decebit*
Inruere in nosmet? pietas tamen ista coëgit
Imprudens, dum tanto alijs præstare videtur
Quisq; sibi, quanto propiore penatibus æde
Diuum habitare suis cernat. pia vota putemus.
Idcircô ne tamen vim cuiq; inferre, suumque
78. *Non sperare ducem liceat? spernat úe quis ipsum*
Magnanimum Alphõsum? quid relligiose tumultus,
Quid trepidas? referre putas qua sede locetur,
Dum modo in vrbe tua? non est, mihi credite, ciues
Proximitate loci quur se quis iactet. abunde
79. *Ille propinquus erit Diuo, qui supplice corde*
Sincerôq; colet. dirum seponite ferrum,
Atq; arcête manus à cædibus, arma nefastum
Ne reddant funesta diem, quem cura minorum,
Quem pia posteritas celebri seruabit honore
Solennem semper. quin læto inscribite fastis
Nomine, vt & læti sacra hæc renouare nepotes
80. *Sint memores vestri, postquam exoriente Capella*

Ad gemina Phœbus declinat pondera Libræ.
Est media vrbe capax templum, augustissima sedes
Diuorum, in tota non est locus aptior vrbe.
Dignum erit hanc ædem sacro decorare sepulcro.
Id rex ipse velit, nos id cum rege velimus.
Dictis mansuescunt animi, ceciditq; viritim
Ira repente ferox, atq; arma minacia ponunt.
Ille vt erat cristis, galeâq; coruscus aëna,
Euocat in pompam ciueis. mora nulla, capessunt
Iussa omnes nudiq; pedes, & tempora lauru
Velati festa, latis clamoribus ibant.
Atq; sacerdotes ardenti murice tecti
Thura Sabæa adolent, Robertus in ordine primus
Quem stola cingebat *Solymum circundata lumbo* 81.
In morem. ex humeris, pendent holoserica miris
Intertexta modis, mitrâq; ornata bicorni
Tempora præfulgent. tum circum fercula, palmis 82.
Insigniti aderant salij, laudesq; canebant, 83.
Inde senum iuuenumq; chorus, qui vocibus æthram
Totum implent lætis. atq; hinc matresq;, nurûsq;,
Innuptæq; simul reddunt alterna puellæ.
Lux gentis quę debus nostræ, salue inclyte Diue
Qui totum exhilaras celum. Tu mille labores,
Tu mirante polo, sæui tormenta tyranni
Et flammas passus, quæ plurima vix tulit alter,
Nemo plura, venis nostram nouus hospes in vrbem.
Ingredere, & nostris subcede penatibus, & nos 84.
Dexter adi, & ciuis factus, tua mœnia serua.
Tu quoq; fida venis ales custodia Diui,

Quam non cygnæus candor, quam nulla volucrum
85. *Anteibit. nec te vincet Iouis armiger antro*
Dictus ab Aetnæo manibus fabricata cyclopum
Tela ministrasse irato. sine labe columba
86. *Non Veneri tantum dilecta, aut Palladi cornix*
87. *Nyctimeneue fuit, nec tam Iunonius ales,*
88. *Quantum vix caudæ circumgemmante theatro,*
Gratus erat Diuæ, nec qui capitolia celsa
89. *Seruauit, niueus tantum ille Quiritibus anser*
Promeritis dilectus erat. nec corue fuisti
90. *Ipse magis Phœbo fuerat dum nulla Coronis*
Cum iuuene Hæmonio tibi visa, & candidus esses,
Quam nobis nunc carus eris. te namq; senatus
Nostræ vrbis, pupimq; sacram quæ numina vexit
Signa sibi faciet, gestat modo Olisipo facti
91. *Mnemosynon, puppem atq; pareis insignia coruos.*
Siue quis externas ibit legatus ad vrbeis,
Siue quid edicet legésue rogabit Olyssis
92. *Vrbs, hæc signa fidem facient. seu bella parabit,*
93. *Præcedent nostras acies, mediósq; per hostes*
Inrumpent cuneos, disiectaq; castra sequentur.
Talia carminibus referunt, templumq; subibant.
Scalptum marmor ibi parium fuit. vndiq; totum
94. *Artificésq; manus, & ferrea cæla decenter*
95. *Leuarant opere insigni, ac velut arte Myronis.*
Illic effigies Diui, nomenq; notatum est.
Et rerum series pulchris distincta figuris.
Subtus Iaspideæ monumentum vtrimq; columnæ
Sustentant geminæ. tali clausêre sepulcro

Magni

Magni relliquias herois. cætera tempus
Auxit, & humanis inuecta licentia rebus,
Inductusq; error concordi fœdere mundi,
Qui summam in superos pietatem credidit, auro
Vestiri statuas, & mortalem addere luxum,
Quum potius placeat diuis imitatio vitæ.

FINIS HISTORIAE VINCENTII.



L. ANDR. RESENDII EPISTOLA AD VERNANDVM RHOTORIGIVM ALMADICVM RHOTORIGII Vernandi Almadici filium, optimæ spei puerum.

IVsta parentali redierunt annua luce
Persoluenda tuo merito Vernandule patri.
Ergo ego, dum mæsti funus renouamus amici,
Et tumulo grati lacrymis adfundimur, vmbram
Vocibus ingentem, ingentemq; heroa cientes,
Quid rear, ipse prius magno puer orbe parente
Vt facias? doleas? corrumpat fletus ocellos?
Hoc quoq;. n.nn multum hac etiam pietate placebis.
Est tamen vlterius genitor quod malit, omisso
Vt fletu, sensim patrias formeris ad arteis.
Huc incumbe puer, neruósq; intende tenellos,
Quándoquidem à teneris momentum adsuescere magnum est.
Ac tibi ne faciles longis hortatibus aureis
Obtundam, breuiore sequar compendia calle.
Si quuius natura fera est, propiusúe ferino
Quam miti, ingenium, si educta puertia praue,
Moribus incultis, nullo formata magistro,
Quin & si quuius natura benignior, atque
Tenuius ingenium, sed paupertate laborat,
Neutrum ego demirer stultorum explere cateruas.

Ille

Ille quidem innata se rusticitate tuetur,
Quod nihil inuita potuit præstare Minerua,
Cui neq; præceptor, nec præluxêre parentes.
Hunc autem, grauibus pedicis angustior æquo
Res tenet. aut supra siquid molirier audet,
Deijcitur cœptis, veluti damnatus iniqui
Voti, Sisyphium cogatur voluere saxum.
At, vi natiua formari cereus, & cui
Cætera suppeditant, facilemq; domestica pulchra
Commostrant exempla viam virtutis ad arcem,
Turpiter à vulgo se non submorit inerti.
Hæc tibi dicta puta, placida puer indole, quando
Nil Natura tibi, melioraq; fata negarunt.
Nam tibi quã docile ingenium, quã viuida, quamq;
Vis animi erecta est, quàm non meus ipsa supina,
Vnius ostendit mira experientia mensis,
Pœne tuo nullo, minimôq; labore magistri,
Cui plus de solidis octaua parte diebus,
Non hucusq; datum est, demptum puerilibus actis.
Est tamen effectum, quantum indole præditus acri
Me non pœniteat toto si effecerit anno.
Natiuum ergo magis superet, quam desit acumen,
Atq; anni duci faciles, ac flexilis ætas,
Vt bene Palladias iter expediatur ad arces,
Quo tibi nitenti, metuis ne curta supellex
Obstet, & adscensum cliuosum obsepiat? atqui
Illa tibi fautore Deo, virtute paterna,
Ampla adeò est, vt te nemo splendore, domôue,
Vincat Odysseia, rarissimus æquet in vrbe.
Culmẽ ad hoc quoniam pater optimus ipse præiuit,

Ipse sequendus erit. prô quam te certa manebit
Gloria, si patris vestigia pone sequare.
Namq; vt præcurras, vix ausim optare. feramq;
Si nullum addideris cumulum, modo tradita duret
Integra nobilitas, nullôq; adcisa sinistro.
Ergo paterna tibi ante oculos uersetur imago,
Quemq; refers facie, virtute referre labora.
Nil virtute prius duxit pater ipse, iuuenta
A prima, virtute nihil prius ipse putato.
Ille suo regi multos dum præstitit annos
Obsequiumq; operamq;, forisq; domiq; fidelis,
Regibus est cunctis factus gratissimus. eius
Dignati mensam reges & adire penateis,
Pacibus ambiguis vnum statuêre sequestrem.
Bella quidem haud gessit, sed enim sapienter agẽdo
Exstinxit iam cœpta geri, Martiq; bipennem
Abstulit armato è manibus, curruq; tremendo
Sanguineam exquussit Diuam, iunctôsq; dracones
Inuita iugulauit hera, sæuôsq; paratus
Propulit in patriam Rhodopes iuga ninguida Thracem.
Hæc dum sæpè facit regum pacator, honestè
Consenuit peregri patria priuatus amata.
Atq; ut scire queas quo sis genitore creatus,
Eccui quære duci, de tot qui nostra per Indos
Signa ferunt, de tot, qui cum Mauortia Pœnis
Bella gerunt, plus detulerit rex noster honoris.
Sæpè equidem memini, & merito, redeuntibus aula
Esse interdictum. multis, nec ad oscula dextra
Admissis, etiam probrosa ob crimina dictam

Iure diem, atq; reos, de maiestate minuta,
Deq; peculatu, causam dixisse coactos.
At pater ille tuus rediens, susceptus amicè
Iniecta obstipuit regalia brachia collo.
Ne te detineam, vixit patriaq; Deoq;,
Ciuis honoratus, diues sine sordibus vllis.
Quuius vita suis quam ciuibus vtilis esset,
Omnibus ordinibus respublica mæsta probauit,
Quum gemitu confusa ruit morientis ad ædeis,
Quum tot ad elatum coierunt undiq; turbæ,
Vt nec eas colles caperent, nec tecta, viaq;.
A quot erant qui se lamentarentur in illo.
Hic sibi narrat opem latam, gratisq; fuisse,
Alter agit grates alieno ex ære solutus.
Hic vetitus necti, corpus debere fatetur.
Quot fuit auxilio pupillis ille, quot orbis
Dos data virginibus memorat. Sermo vnus, & vno
Ore, grauem factam iacturam funere tanto.
His nisi tute putas stringi te laudibus, vnquam
Neúe sinisterior, ne dexteriorúe ferare,
Neu digitum transuersus eas, quin totus eamdem
Insistas peragasq; viam, teris auia, nunquam
Ingressurus iter melius, frugiúe futurus,
Magnarum sed diues opum, virtutis egenus,
Vixq; alia à turba re distaturus inepta,
Quam qua strigoso porcus præfertur obesus,
Nullum mirificum patriæ sumendus in vsum.
Non aliter, quàm quum, si fortè caballus ab acri
Degenerauit equo, demuntur ephippia tardo
Et phaleræ, tonsisq; iubis, inglorius ipse

Saxa moletrina versans onerosa senescit.
Aut siquid melius, uel clitellarius exit
Vel collo trahit attrito non sponte quadrigas
Sin autem generose puer te respicis, ista
Nec canimus surdo, uerùm uiuisq;, sapùq;,
Ebullitq; tibi circum præcordia sanguis,
Quæ monita audisti nunc, de genitore sequendo,
Danda opera, vt gnatis, de te, post ipse relinquas.

FINIS.



IN. L. ANDREÆ RESENDII VINCENTIVM LEVITAM ET MARTYREM, EIVSDEM LOCORVM obſcuriorum adnotationes.

AD STVDIOSOS ADOleſcentes.



QVVM nequaquam conſilij mei eſſet, in Vincentium noſtrum aliquid commentari, ſtudioſi adoleſcentes, & eo vel ſolum, vel potiſſimum animo edere conſtituiſſem, vt Martino Ferrariæ homini cum primis amico, ac de me benè merenti morem gererem, vobis faciliorem eius poëmatis intellectum cupientibus, coactus ſum tumultuaria opera, dum carmina ipſa excuduntùr, adnotationes has intra dies decem & cõceptas & natas præcipitare. Veſtræ autem humanitatis erit, boni & æqui, quales quales eæ ſunt, rei ſiue neceſſitate, ſiue celeritate conſulere.

VINCENTI, &c.) Status cauſæ eſt, *vera virtute & religione cælum adiri.* Quos Deos finxit antiquitas, etiam ipſum Herculem, falsò in cælum relatos. Diuinos enim honores, hoc eſt, vt homines diui fiant, Dei opt. max. munere heroibus verè pijs, non autem ſceleratis tyrannis, ſolere contingere. Quum autem ſacratiſſimus Chriſti martyr Vincentius inter eos emineat, qui illuſtriori pietate ſe pro vera religione deuouerunt, iure optimo & diuum haberi, & à pijs hominibus veneratione

neratione magna coli. Et adsumptionis huius probatio, in demonstratiuo genere, priori libello abundè satis versatur. Posteriori, quonam modo Olysipponem translatæ fuerint eius reliquiæ, iuxta annalium nostrorum fidem, continetur.

1. OLYMPO ADSERVIT, id est, in Deorum retulit numerum. Et dictum est ea formula, qua & illud Metam, primo. *Ede notam tanti generis, meq; adsere cælo.*

2. FALSO) absque ratione. Sallust. *Falso queritur de natura sua genus humanum.*

3. VOTISQVE vocauit) vt Virg... & *votis iam nunc adsuesce vocari.*

4. INGENIO quicumque, &c.) Treis tangit modos claritudinis & immortalitatis apud homines promerendæ. Ab studijs, & ingenij dotibus, à rebus bellicis, & à meritis in rempublicam.

5. ÆTERNIS factis.) Participium est, non nomen. Durant, inquit, sua præmia illis, qui ob talia merita æterni sunt facti, hoc est, hominũ memoriæ commendati.

6. IGNEA VIRTVS.) Etsi ita possit hic dici *virtus ignea*, quemadmodum apud Lucanum, lib. 9.

Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vita, patientes atheris imi.

Fecit. & Maroni.... *ardens euexit ad æthera virtus*, tamen propriè virtutem eam intelligit, quam Theologi *Caritatem* vocant, quæ ignea, i. ardens diuini amoris igne rectissimè adpellatur, & omnium aliarum forma est. Pietatem verò in deum, hic dicit, quam Græci εὐσεβείαν, & λατρείαν, quæ soli Deo debetur.

7. PVRA VESTE.) Ex ritu pontificali dictum est. Tali enim vtebantur pontifices in sacris faciendis.

Æneid. 12.--- *Puraq; in veste sacerdos,*
Setigeræ fœtum suis, intonsamq; bidentem
Attulit.

8. CA-

8. CASTI) tam religiosi, quam à libidine alieni, vt Virgil.

Quiq́ sacerdotes casti, dum vita maneret.

9. PHRYGIS AMPHORA, &c.) Sensus est: Dies Vincentio dicata, hodie voluto anno nobis rediịt, quum ingresso in Aquariũ sole, Lyra obcidit. Et significatur dies 12. cal. Februarij. Nam referente Columella lib. 12. cap 2. decimo septimo cal. Februarias sol in Aquarium transit, & 12. cal. Fidicula vespere obcidit. *Fidiculam* autem vel *Fidem*, latini dicunt, quæ à græcis *lyra* nuncupatur, auctore Varrone cap. 5. lib. de re rustica secundi. Ouid. item Fastorum primo, quatuor hoc carminibus declarauit.

Hac vbi transieris capricorno Phœbe relicto,
Per iuuenis curres signa regentis aquas.
Septimus hinc oriens quùm se demiserit vndis,
Fulgebit toto iam Lyra nulla polo.

Cæterùm *Aquarij* signum ad Phrygem, hoc est, Ganymedem retulimus, Ouidium sequuti, fastorum, 2.

Iam puer Idæus media tenus eminet aluo,
Et liquidas misto nectare fundit aquas,

Quùm sint qui ad Deucalionem potius retulerint. Vnde est illud Lucani.

Deucalioneos fudisset Aquarius imbres.

Vtraque tamen opinio recitatur apud Higinium, apud quem etiam de *Lyra* plus satis.

10. BONA MENS.) *Mentem* veteres vt Deam colebant. Plin. lib. 2. cap. 7.

11. OLYSSIS MOENIA. 1.) *Olysipponem*. Narrabitur libro posteriore.

12. IMPERIVM Diocles.) Narratio est. *Diocles* autem idem est, qui & *Diocletianus*, de quo ita Sextus Aurelius Victor. *Diocletianus Dalmata Amilini senatoris libertinus, matre pariter atq́ oppido Dioclea, quorum vocabulis, donec imperium sumeret, Diocles adpellatus, vbi orbis Romani potentiam cœpit, Graium nomen*

men in Romanum conuertit. Hactenus Victor. Quia verò *Diocletiani* vocabulum non tam cōmodè versus legē ingredi poterat, vsi sumus potius nomine *Dioclis*.

13. VLTO pro Cæsare.) Hæc historia sic habet. *Numerianus Cæsar, frugi & bonarū artium iuuenis, in castris ab Arrio Apro socero suo imperij cupido, per fraudem interfectus est. Id quùm ægrè tulisset exercitus, Dioclem imperatorem elegit, quùm prius iurasset, nō suo dolò Numerianum interfectum. Cui rei vt fidem faceret, Aprum concionantem adortus, gladio confodit. Quare & à militibus mox imperator salutatus est, & à senatu postea confirmatus.* Hæc diffusius apud Eutropium, & Pomponium Lætum.

14. SE DIVORVM sanguinis vnum Iactaret.) Diocletianus, *Iouij* sibi prænomen indidit, quasi Iouis esset heres, sicut & Maximianus imperij socius *Herculium* se adpellauit. Præterea, se vt Deum adorari iussit, sicut in chronicis refert Eusebius.

15. DECIMA strage.) *Decimam* enim post Neronē in Christianos *persequutionem* mouit Diocletianus.

16. TANTI cōlega furoris Maximianus erat.) Hunc siquidē Diocletianus prius Cæsarem, deinde Augustū fecerat: Constantio & Galerio creatis Cæsaribus. Nam posteaquam imperium consortes habere cœpit, senior Augusti retento nomine, ad consortium adlecto Cæsaris nomen tribuebat, qui tamen Augustali maiestati vt superiori deferret. Hinc legimus Constantinum treis filios suos Cæsares fecisse. Erant igitur *Cæsares*, quasi designati Augusti, ac imperij subcessores, vt nostra ætate, *electi reges Romanorum.* Eusebius lib. 8. Ecclesiasticæ historiæ, cap. 5. de Diocletiano & Maximiano loquens, *Augusto*, inquit, *in eadem vrbe simul cum Cæsare constituto.* Imperator tamen Valentinianus, vt ait lib. 27. Ammianus Marcellinus, morem institutum antiquitus supergressus, non *Cæsares*, sed *Augustos* ger-

manum

manum nuncupauit & filium. Beneuolè satis. *Nec enim quisquam ante hac*, inquit Marcellinus, *adsciuit sibi pari potestate conlegam, præter principem Marcum, qui Verum adoptiuum fratrem absq; diminutione aliqua, maiestatis imperatoriæ socium fecit.*

17. ALTER IN HESPERIO, &c.) Orosius sic ait, lib. 7. cap. 25. *Interea Diocletianus in oriente, Maximianus Herculius in occidente, vastari Ecclesias, adfligi interficiq; Christianos decimo post Neronē loco præceperunt. Quæ persequutio omnib⁹ ferè anteactis diuturnior atq; immanior fuit. Nam per decem annos, &c.*

18. CÆDE triumphali numeri creuêre superni) Diuorum numerum significat, infinitis prope martyribus auctum. Si cui libet hæc latius videre, is octauum Eusebij librum Ecclesiasticæ historiæ legat.

19. SÆVA PERACTVRVS sæuus mandata minister.) Nota est in historijs martyrum sæuitia Datiani.

20. HESPERIÆ EXTREMÆ. &c.) *Mediterranei maris*, periphrasis est. *Hesperiam* autem extremam, Hispaniam dicit, vt Horatius.

Qui nunc Hesperia victor ab vltima.

FAVCES PERARCTAS.) Fretum Herculeum intelligit. Et videnda est Melæ descriptio, iuxta quam hæc dicta sunt.

21. PERpetuam dirimens Calpen.) Ex opinione eorū loquitur, qui *Calpen* montem ab Hercule discissum putauêre, & vtrimque positis columnis, altera in Hispaniæ parte, in monte ad quuius radices Calpe est oppidū, quod Giblaltare nunc vocatur, altera in Africæ monte, ad *Septam* vrbem illā nominatissimā Ceuta nunc dicitur, freti angustias ab illo fuisse designatas.

22. ÆRVMNOSA Saguntos) De *Sagunto* multa passim. Est autem ea quæ nostra tempestate in ignobilem prope vicum redacta, ab indigenis *Monuedro*, hoc est, *Mons vetus* adpellatur.

23. SV-

23. SVCRONIS dixêre ſinum.) De ſinu *Sucronenſi* ita dicto à flumine quem recipit, hæc Mela. *Prior Sucronenſis dicitur. Maior hic magno ſatis ore pelagus adcipiens, & quo magis penetrat anguſtior, Setabin, Thuriam, & Sucronem, non magna excipit flumina.*

24. VALENTIA ſurgit, Bruti opus.) *Viriatus* Luſitanus ille, Hiſpaniæ Romulus, vt inquit Florus, quùm poſt varias contra Romanos victorias, per fraudem & inſidias domeſticas, agente Seruilio, interemptus eſſet: milites eius quà ſe tutari poterant, diſperſi vagabantur. Interea quùm in Hiſpaniam veniſſet Brutus, & è republica iudicaret pacatas Viriati copijs conditiones offerre, agrum & ſedes ad habitandum, poſitis armis, illis adſignauit. Condiderunt igitur oppidũ quod *Valentiam*, credo à fortitudine militari, adpellauerunt. Meminit huius rei etiã Sabellicus, lib. 9. quintæ Enneados.

25. EXAVCTORATO.) id eſt, ab armis dimiſſo *Auctorare* enim eſt obligare. Vnde *auctorati milites*, i. ſacramento adſtricti. *Exauctorati verò à ſacramento quo obligati & adſtricti tenebantur abſoluti.* Liuius lib. 6. belli Macedonici. *Milites exauctoratos dimiſit.* Et ita ſæpè apud eundem. Erat tamen duplex exauctoratio, ſicut & duplex miſſio. Altera, quùm militibus opus non erat, quæ vocabatur honeſta, quẽadmodum legimus in multis inſcriptionibus. *MISSVS HONESTA MISSIONE*, Altera, quæ ignominiæ cauſa fiebat, quùm iubebãtur milites contumelioſè arma deponere. Dicebanturq; tunc *FIERI QVIRITES.* Lampridius in Alexãdro. *Seueritatis autem tanta fuit, vt ſæpè legiones integras exauctorauerit, ex militibus Quirites adpellans.* Poſt: *Continete igitur vocem truculentam, &c. Ne vos hodie, vno ore atq; vna voce, Quirites dimittam.* Sequitur: *Quùm nihilominus poſt iſta fremerent, exclamauit. Quirites diſcedite, atq; arma deponite,*

Huc referendum est illud Cæsaris, apud Lucanum.
Tradite nostra viris ignaui signa Quirites.

26. BRVTI mœnia.1.) Valentiam superiùs dictū.

27. VALERVS) Concisione dictum, pro, *Valerius.* Vt Virgil. Æneid. x.

Quem tamen haud expers Valerus virtutis auitæ
Deijcit.

28. NIGRICANS lanugo.1.) subnigra, aliquantulum nigra, qualis in iuuenibus pubescentibus esse solet. Plin. li. 10 cap. 3. *colore nigricans.* Et alias sæpè.

29. DICTIS PELLACIB.) Blandis, & ad decipiendum adpositis. Æneid. ij. ---- *inuidia postquam pellacis Olissi. &c.*

30. SVFFITE.) Hoc est, subfumigate. Georg. 4.

At suffire thymo, cerásque recidere inaneis.

Quis dubitet? Et *altaria* dixit *augusta.1.* religione & augurio consecrata, sancta. Ouid. Fastorum.1.

Sancta vocant augusta patres. augusta vocantur
Templa, sacerdotum ritè dicata manu.

Hinc etiam Dij, *augusti* dicebantur, sicut legimus in antiquis inscriptionibus. *MARTI. AVG. SACRVM. ISIDI AVG. &c.* Suetonius legendus.

31. COGNATAQVE numina terris.) Deos ex hominibus factos finxit antiquitas. Quare erga homines deorum beneuolentiam ex cognatione arguit.

32. PROLES Latoia,) Apollo Latonæ filius.

33. NOVA factio.1.) Christiana religio. Ex persona enim Datiani seruatur decorum. Nam *factio,* seditiosum vocabulum est. Et Christianos ethnici *seditiosos factiosósque* iudicabant, imo etiam *superstitiosos.* Tanta cæcitate miseri tenebantur.

34. O. VALERI.) Adcentu in prima syllaba enūciandum est, contra vulgatos Grammaticorum canonas. Sicut & apud Horatium. *Nulli flebilior, quam tibi Virgili.* Item apud Martialem.

Quinte Caledonios Ouidi visure Britannos.

Sed de hac re multa Gellius, & plura Arius Lusitanus magister olim noster, in sua Prosodia.

35. ADGREDIOR.) Præsens est pro futuro,cōsueta & eleganti loquendi formula,quam in commentario latinæ coniugationis iam ante adnotauimus:

36, DICERE pro nobis.) Antistes Valerius, beatum Vincentium à pueritia literarum studijs adprimè eruditum, diaconum ordinauit, & quod impeditioris ipse esset linguæ,illi iniunxit,vt ipsius in verbi ministerio vicem suppleret.

37. QVÆSITORI.) *Quæsitor* est, qui quæstionem habet in rei caput. Cicero in Vatinium. *Quæro ex te Vatini,* &c. *nunquit reus in tribunal sui quæsitoris adscenderit.* Hinc Maroni Æneid. 6. *Quæsitor Minos vrnam mouet.*

38. DIA virtus.) Nunc *diuina*,vt apud Horatium -- *Sententia dia,*& Lucretio li. 5. *otia dia.* Aliquādo *Dius,* pro generoso. De qua re multa à nobis alio loco disputata.

39. GENITORIS imago) Filius in diuina triade *Patris imago* dicitur,eò quòd Pater Filium sibi similem absque principio genuerit. Hinc Paulus capite. 1. ad Hebr. epist. Christum seruatorem nostrū,*expressam imaginem substantiæ Patris*,mirè propriè adpellauit.

40. FLATVS vtrimque amor) id est Spiritus sanctus,adspiratus & procedens vtrimq; , hoc est, & à patre, & à filio.

41. SOLO effinxit sermone.) Si *Sermonē* velimus adcipere pro ipso *Dei filio*, sensus est, per Filiū, & cum Filio, Patrē omnia fecisse,iuxta illud. *Omnia per ipsum facta sunt.* Nec est quur refugiat quis, Dei Verbo, *Sermonis* vocabulum tribuere, satis vsitatum veteribus, quum etiam pientissimus ille Prudentius cecinerit.

Ades Pater supreme,
Quem nemo vidit unquam,

Patris

Patrisq́; Sermo Christe,
Et Spiritus benigne.

Et Ecclesia publicè in templis canat, *Dum medium silentium tenerent omnia, &c. omnipotens Sermo tuus domine à regalibus sedibus venit.* Si verò simpliciùs. *Sermonem* adcipere velimus, sensus erit, Deum ex solo imperio creasse vniuersa, iuxta illud Dauidis; *Ipse dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt.*

42. FANDO omnia fecit.) Hoc est quod modo expofuimus. *Dixit, & facta sunt.*

43. IGNIBVS micantibus.) id est, stellis.

44. ANNI horas.) Quatuor anni parteis, *horas* vocauerunt veteres. Hinc Horat. in arte -- *ô ego lauus,*

Qui purgor bilem, sub verni temporis hora.

Et primo epistolarum, *Septembreis horas,* dixit lepidissimè. Heic, *horarum* ambiguitatem tollit patrius casus. Nam ideò *anni horas* dictum est, ne de *horis* diei partibus quis intelligeret.

45. TEMPLVM) à *tuendo* dictũ antiqui tradidêre. *Templumq́;*, ait Festus, *locum esse qui ab omni parte videri, & ex quo pars omnis possit adspici.* A qua origine, verbum etiam, *Contemplor,* deriuatum est. Vnde cælum, quod ipsum maximè *tuemur,* Iouis *templum.* Ennius adpellauit.

Contremuit templum magnum Iouis altitonantis.

Vniuersa igitur mũdi fabrica, quã omnipotẽs ille architectus nobis cõspiciendã propofuit, non iniuria *Dei* ipsius *tẽplũ* vocatur, in quo veluti in pulcherrimo creaturarum omniũ theatro, homo cõlocatus est, vt quum ea cũcta contẽplaretur, ad ipsum admirabilem vniuersi huius opificem intelligendum, excitaretur, & deniq; intellectum, summa pietate coleret. *Reddamus nũc rationẽ,* inquit Firmianus cap. 5. libri septimi Diuinarum institutionum, *quare hominem ipsum fecerit. Sicut ergo mundum non propter se Deus fecit, quia commodis*

eius non indiget, sed propter hominem, qui eo vtitur, ita ipsum hominem propter se. Quæ vtilitas Deo in homine, inquit Epicurus, *vt eum propter se faceret? Scilicet vt esset qui opera eius intelligeret, qui prouidentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi, & sensu admirari, & voce preloqui posset. Quorũ omnium summa* hæc est, *vt Deum colat. Is enim colit, qui hac intelligit. Is artificem rerum omnium, is verum patrem suum debita veneratione prosequitur, qui virtutem maiestatis eius de suorum operum inuẽtione, inceptione, perfectione, metitur.* Hæc Lactantius. Ex quibus, satis patet octo horum carminum sensus.

46. Porro ad imaginem Dei factum hominem, atq; non ex nobiliori quam ex *Luto* materia, cognitissimũ est ex Genesi.

47. ALTAQVE cæli Numina nil veritus &c.) Hoc est quod conqueritur Paulus, cap. 1. ad Roman. *Mutauerunt gloriam immortalis Dei, in imaginem non solùm mortalis hominis, verùm etiam volatilium, & quadrupedum, & reptilium.* Dauid etiam exclamauit, *Simulacra gẽtium, argentum & aurum: opera manuum hominum, os habent, & non loquentur, &c.*

48. SIGNA hæc sunt &c.) Præoccupatio est. Dicerent fortasse gentiles idololatræ. Hæc nos simulacra non colimus, nec Deos esse putamus. Tantum signa esse Deorum, qui in cælis sunt, adfirmamus. Hæc illi si responderent, Sit ita sanè, inquit Vincentius. Sed quorum Deorum hæc signa sunt, aut quosnam Deos adpellatis? Homines ve flagitiosos, turpeis, &c. Inde sequitur probatio. *Talis tibi Iupiter,* &c. Exstat festiuissimus Luciani dialogus, in quo Diogenes apud inferos Herculem adloquitur, seque mirari dicit, quod ille mortuus sit, cui tanquã deo soliti essent homines sacrificare. Cui Hercules ita respondit. *Ego* inquit, *verus Hercules non sum, sed simulacrũ eius. Ipse verò Hercules, in cælo est cum sua Heb.* Tunc Cynicus. *Imo profecto*

tu ve-

tu verus Hercules es, simulacrum autem tuum apud superos. Et reliqua quæ summo lepôrè átheos ille disseruit. Vsq; adeò, etiam ethnici, siqui paulo sapientiores erant, suos irridebant deos.

49. *TALIS* tibi Iuppiter altus) pleni sunt omnes poëtarum libri stuprorum & adulteriorũ Iouis. Hinc illud Catulli.

Sæpe etiam Iuno maxima cælicolûm,
Coniugis in culpa flagrauit quotidiana:
Noscens omniuoli maxima furta Iouis.

50. *HELLESPONTICVS*) id est, *Priapus*, à patria Hellesponto. de quo ita Sacer Prudentius.

Hic deus è patrio prænobilis Hellesponto,
Venit ad vsq; Italos, sacris cum turpibus, hortos.

51. *DEOIDOS*) id est, *Proserpina.* Nam Ceres, inter reliqua cognomina, etiam δεὼ à græcis dicitur. Hinc *Deois* patronymicum nomen, hoc est, Proserpina Deûs filia. Ouid. metam. 9 ---- *varius Deoida serpens.*

52. *ANIMOSA* senectus oppetere) id est, ad oppetẽdum. *Oppetere* autem pro mori, absolutè, etiam Virgil. dixit. Æneid. 1. *Troiæ sub sub mœnib. altis*
Contigit oppetere.

53. *LEMVRVM* flamen.) *Lemures* sunt laruę nocturnæ, malorum geniorum imagines. Quibus arcendis, *Lemuria*, id est, sacrum lemuribus festum, celebrabat antiquitas. Ouid. fastorum. 5.

Ritus erit ueteris nocturna Lemuria sacri,
Inferias tacitis Manibus illa dabunt.

54. *PIIS* heroibus) id est, martyribus.

55. *IRITATQVE*) *Iritare*, est ad iram concitare. Quod videtur explicasse Ouid. metam. 8.

Vulneris auctor adest, hostemq; iritat ad iram.

Quare vno tantum. R. scribendum esse ducimus. IRITO non autem duplici IRRITO.

56. *PVLSABERE*). idem est, quod *verberabere.* Cicer. act. 7. in Verrem. *Sex lictores circunsistunt va-*

lentissimi, & ad pulsandos verberandósq; homines exercitatissimi.

57. EXSILIVM) *Exsulo*, dixerũt vetustiores Grãmatici, *quasi ex solo eo*. Quare testibus Scauro, Capro, ac Prisciano per. X. &. S. litteras scribendum est. Sic *exsilium*, id est, patrij soli priuatio.

58. EXTORRIS) idem est, quod exsul. Sed *extorris*, ideo dicitur, quasi illi torris interdictum sit. Aqua siquidẽ & igni interdicebatur. Liuius li. 5. ab vrbe. *Exsul atq; extorris ab solo patrio*. Pontificij iuris professores, *excommunicatum à* participantibus, eum qui *extorris* iubeatur esse, adpellant.

59. CONSCISCAT fata necemq; sibi.) De verbo *Conscisco*, dictum satis à Valla, lib. 5.

60. FIDIBVS distẽdit) .i. fidiculis. de quib. Valla. li. 1.

61. PROSCINDERE verbis) id est, *lacerare, contumelijs adficere*. Suetonius in Augusto. cap. 13. *Hũc fœdissimo conuicio coram prosciderunt.*

62. FAXOQVE) id est, *faciam*, Virg. Æneid. 9.

Haud sibi cum Danais rem, faxo, & pube Pelasga
Esse putent.

63. INTENSO luxata trocho) suo loco mota. Plin. lib. 28. cap. 2. *Cato predidit luxatis membris carmen auxiliari. Trocho*, id est, rota tortoria à Græcis excogitata, quæ apud illos τροχός, à verbo τρέχω, id est, *curro*, adpellatur. Cicero. 5. Tuscul. *In rotam, id est genus quoddam tormenti apud Græcos, beatam vitam non adscendere.*

64. AMBEST) à verbo *Edo, es, est*, componitur *Ambedo, ambes, ambest*, interposita. B. inter verbum & præpositionem, *AM*, quæ *circum* significat. *Ambedere* autem, vel *ambesse*, est circumedere. Plaut. Mercat. *Suæ vxoris dotem ambedisse*. Et propriè de flamma dicitur, *Ambest* vt Æneid. 5. --- *flammisq; ambesa reponunt Robora nauigijs.*

65. DILANCINAT) à *Lancino* deductum est.

Est

Est autem *lancinare*, idem quod *lacerare*. Plin. lib. 11. cap. 34. *Est & volucre canibus peculiare suum malum, aures maximè lancinans:* Apud Catullum, *bona paterna lancinata* dicuntur, hoc est, dissipata, dilacerata, ac dilapidata.

66. ILLE sub hæc.) i. statim ac mox, posthæc. Cicero Planco. lib. 10. *Sub eas literas, statim recitatæ sunt tuæ.*

67. CATASTÆ) *Catasta* machina erat lignea qua serui aut vincti custodiebantur, aut exponebantur venales. Plin. li. 35. cap. 18. *Talem in catasta videre Chrysogonum Syllæ.* Tibull. lib. 2. eleg. 3 *regnum ipse tenet, quem sæpè coegit*

Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Pro eodem nonnũquam sumi *caueam* putamus. Ouidius in Ibin.

Inclususq; necem cauea patiaris, vt ille
Non profecturæ conditor historiæ.

68. BOSQVE Perillæus) *Perillus* Atheniensis vt placeret Phalaridi famosæ crudelitatis tyranno, ex ære taurum fabricauit, in quem quum inclusi essent homines, subdito igni, mugitum potius quam vocem emittere viderentur. Pro quo inuento, id à nunquam alias minus crudeli tyranno reportauit, vt primus ipse in suum illum taurum inclusus, & exustus, ingenij malè conlocati pœnas daret. De qua re multa passim apud auctores. Ouidius lib. 5. de tristibus, eleg. 1.

Ipse Perillæo Phalaris permisit in ære,
Edere mugitus, & bouis ore queri.

69. A scelus) De, *A*, interiectione leni spiritu enunciande, adnotabimus in fine. Cæterùm, *En trahitur per terram nobile corpus*, pathos est, ad imitationem Lucani lib. 4. *Libycas en nobile corpus*

Pascit aues, nullo contectus Curio busto.

70. POTIS es) pro potes. Neque enim aliud est, *possum*, quã *potis sum*. Adnotauit Donatus in Terentiũ. Et interiectionem PRO. sine adspiratione, & adcentu circumflexo scribimus.

71. PECTINIBVS) scilicet ferreis, quales sunt, quibus lanam pecti videmus.

72. VOTA nec eludit) id est, non fraudat, cassáue esse permittit: Nam *Eludere*, inter alia. significat etiam *exspectationem fallere*. Cicero pro Milone, *Rempub. in suis cogitatus & furoribus eludere*, Et act. 2. in Verrem, *Iudicij exspectationem eludere, dixit*, Tibullus quoque, *Seges eludit messem*.

73. IOVI Lapidi) Irrisio est, quum *Ioui* dixerit, addidit per adpositionem, *Lapidi*. Est & inter adagia.

74. *IOVEM lapidem iurare*, de quo videre licet Erasmi Chiliadas.

75. MARMORE cælato pressum puluiar) *Puluinar* hoc loco significat *puluinum* super quem simulacra recumbentia conlocabantur, vt eminētiora viderentur. Cicero pro domo sua. *Aram, & ædiculam, & puluinar, sub saxo sacro dedicauit*.

75. NEC prece adoratus.) *Adoratus* .i. piè & religiosè cultus, &, vt faueat, venerabundè postulatus.

76. SEMVSTVM) *semiustum*, ita, vt adhuc torres arderent, nondum in prunas redacti. Quo significatur maior incendij vis ab inflammatis titionibus. Dicitur autem *semustus* per synæresin. Æneid. tertio.

Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus, &c.

77. CREPIDO).i. salis in igne crepitātis impetus.

78. CAVTERIA.) *Ea sunt ferrea instrumenta, quibus morbi alioqui insanabiles inuri solent.*

79. ARVINA) *Pingue* illud inter cutem & viscus, *aruina* dicitur. Vnde Æneid. 7. --- *& spicula lucida tergent*

Aruina pingui.

80. MVTI) pro, *Mutij*, synæresis est, aut potius synizesis notissima nominum in IVS, aut IVM, desinētiū. vt Terentio. *Id negoti* Lucretio, *Necratio remedi* Virgilio, *Vrbem Pataui*. *Cura peculi*. Iuuenali. *Antoni gladios*. & multa passim talia. Nec solis ea synære-

nærefis poetis est familiaris, sed illam etiam oratores adamarunt, quod in antiquis, & manu scriptis codicibus frequentissimum est. Pridie quam hęc commentarer, deduxit me Franciscus Hollandicus meus, iuuenis admirabili ingenio, & Lusitanus Apelles, ad Olisiponense suburbium, quod *Sanctos* vocāt *Veteres*, propterea quod sepulti olim ibi fuere sancti Christi martyres fratres, *Verissimus, Maxima, & Iulia.* Deduxit ergo me ad viridarium regium in maris plantatum crepidine, atque ibi antiquam hanc inscriptionem ostendit.

L. VALERIVS. GAL.
SEVERVS. AN. L.
H. S. E. S. T. T. L. FILI
PATRI. P. C. ET.
Q. SERTORIVS
CALVVS. ATFINIS

Vbi FILI, vnico. I, in nominatiuo casu numeri pluralis adnotauimus, vt nihil dicam de verbo ATFINIS per. T. scriptum, quod ad presens institutum non pertinet. quod ipsum tamen nemo sciolus reprehendat. Positum enim est. T. pro. D. litera sibi cognata. Quod etiam Carisius adnotauit, & innuit Quintilianus. Nos tamen per. D. *adfinis* scribimus, non per. T. Sed hæc alio loco à nobis tractantur copiosius.

81. CÆTERVM, *Mutij Scæuolæ, & Attilij Reguli*; vulgatior historia est, quam vt admoneri debeat.

82. AD AVREA sidera vocetur.) Ita Catullus.
Volo te ac tuos amores.
Ad cælum lepido vocare versu.
Id est, extollere, valde laudare.

83. Pietâsq; Fidésq;.) Ferè idem nunc sunt. Pietas enim pro εὐσέβεια, & cultu veri dei, *Fides* verò, pro persuasione firmissima de diuinis oraculis, & promissionibus, adcipiēda est. Sed in idē recidunt, quū magna sit pietas, & verissimus cultus, Deum veracem credere,

& vt talem summa pietate colere. Sed hæc huius loci non sunt.

84. MENS ferrea frangi,) id est, non mollior ad fraugendum, quam ferrum est. Et est Greca loquutio, qualis illa Horatij in arte poëtica. *Cereus in vitiũ flecti.*

85. FVRVA,) id est, nigra. Ouid. Metam.5.
Ex Acheronte suo furuis peperisse sub antris.

86. ÆTERNAQVE in nocte,) id est, *continua.* vt Ouid. Metam.1. *Ver erat æternum.* Ita nox, id est obscuritas speluncæ, *æterna* vocatur. Præcessit enim *Nulli vnquam soli penetrabilis.*

87. TRISTIA conuoluens inter solatia corpus.) *Tristia solatia* vocat, tormentorum illam cessationem, cum horrore loci, & carcerali squalore coniunctam.

88. DIFFISSIS--- nubibus.) Fulmina, & fulgura, siue fulgetra, fissis nubibus erumpunt. Plin. lib. 2. cap. 43. *Si in nube luctetur flatus aut vapor, tonitrua edi, si erumpat ardens, fulmina. Si longiore tractu nitatur, fulgetra. His findi nubem, illis perrumpi.*

89. QVIDAM niueis pulcherrimus alis.) Describitur angelus qui beatũ Vincentium adloquutus est.

90. DIVVMQVE ministri,) id est nuncij. Id enim *angelus* significat, vnde & Paulus, *administratorios* eos adpellauit *spiritus.*

91. LÆTITIA Christo ferremus.) Officium angelorum est, nos nostraque bona opera Deo offerre. Hinc est, quod angelus Tobiæ dixit. *Quum orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam domino.* Et seruator noster Lucæ, 6. *Adcidit autem vt moreretur mendicus, & deportaretur ab angelis in sinum Abrahæ.*

92. RELIGIO simulata.) Periphrasis est *hypocrisees.*

93. FRAVDIBVS óblita vita) à verbo *óblino,* venit *óblitus.* Cicero Philip. 11. *Atq; eum nondum tanto parricidio óblitũ, hostem sua sententia indicauit.* Et Philip. 14. *Antoniorum vitam libidine flagitiosa óblitam,* dixit idem Cicero.

94. NVN-

94. NVNQVAM spe pauit inani) .i. falso oblectauit ac tenuit. vt Æneid. 10. -- *spes pascis inaneis.*
95. EXCVBITOR.) Custos peruigil. Colum. lib. 7. cap. 12. *Quis excubitor inueniri potest vigilantior?* quùm de canibus loqueretur.
96. PARNASSIA tesqua.) Agrestia loca, quæ aliquuius dei sint, tesqua dicuntur, Varrone auctore.
97. HIPPOCRENEN) id est fontem Bœotiæ musis sacrum, sic dictum, quoniam ab equo Pegaso factus sit. Ouid. Fastorum. 5.

Dicite, quæ fonteis Aganipidos Hippocrenes
Grata Medusæi signa tenetis equi.

Alij de Cadmo Græcarũ literarum repertore, ad eum fontem talia meditari solito, fabulantur.
98. INVVSQVE,) id est Pan. Auctor Seruius super illud Æneid. 6.

Pomerios, castrumq́; Inui, Bolamq́;, coramq́;.

99. QVI præsidet Albæ Iuppiter Iliacæ.) Duobus potissimum locis colebatur *Iuppiter* à Romanis, in arce Capitolina, siue Tarpeia, & apud Albam. A Capitolio, dicebatur *Capitolinus*, à Tarpeia, *Tarpeius*. Cicero pro domo sua. *Te Capitoline, quem propter beneficia, populus Romanus Optimum, propter vim, Maximum nominauit.* Ouid. Fastorum. 6.

Iunctaq́; Tarpeio sunt mea templa Ioui.

Qui albæ colebatur, adpellationem *Latialis* habebat. Hinc Lucanus. lib. 1.

Et residens celsa Latialis Iuppiter Alba.

Quærebant igitur nunc, quando similia his miracula fecisset Iuppiter, siue ille *vrbanus*, siue *Latialis*, qui præses esset Albæ Iliacæ, id est, Troianæ, à Troianis conditæ.
100. SVSVRRA --- Colchidos) .i. carmina magica veneficæ aliquuius, qualis fuit Colchis illa Medea.

101. VT pigros, &c.) Inter tormenta, calido adhuc sanguine, vulnera recẽtia min' dolẽt. Sed postquã sanguis inte-

interius receptus, exteriora relinquit, & incipiunt frigere membra, ác vulnera præ frigore constringuntur, cutemúe adducunt, tum si asperius tractentur, nimio dolore excruciant. Quare tyrannus decreuerat beatum Vincentium sinere tantisper requiescere, dum frigente iam sanguine, vulnera solidari inciperent, vt sic maiore cum dolore iterum torqueretur.

102. SVPPVRATA) id est loca læsa, quorum sanies iam in pus conuertebatur. *Suppurari* autem solent vel abcessus, hoc est, apostemata, vel vulnera, quùm primum cutem adducunt, si neglıgentius curentur. Verbum autem *Focillat*, à *foueo* factum est.

103. PELVSIACA Plagula.) Fascia lini Pelusiaci, à *Pelusio* Ægypti ad Nilum oppido. Dicta est autem *plagula*, per diminutionem, à *plaga*, priori syllaba correpta, quæ cæli vel terræ spatium longius quam latius, ad modum fasciæ, significat. Vnde Statius siluarúm lib. I. circulum cæli lacteum *plagam lacteam* adpellauit. Quin & viam Domitianam, stratã marmore quadrato, *plagam* dixit *marmoratam*, quarto siluarum libro. Inde & Plinius lib. 13. cap. 12. de chartis loquens, *plagulas papyri*, dixit fascias illas, quas Lusitane, *folia papyri*, nominamus. *Premitur*, inquit, *deinde prælis, & siccantur sole plagulæ, atq; inter se iunguntur*. Et quoniam huc deflex imus, adnotare libuit, Plinium *scapum papyri* dixisse, quod nos Lusitani *manum papyri* solemus vocare, dum vicenis plagulis scapum constare dixit, licet nostrâs papyri manus vicenis quinis plagulis conficiatur. Vide Ios. Scaligerum lib. 2. Ausonianarum lect. cap. 34.

104. ZOELICA lina) Plin. lib. 18. cap. 1 *Ex eadem Hispania Zœlicum venit in Italiam, plagis vtilissimum.* Ciuitas ea Gallæciæ, & Oceano propinqua.

105. DISSECAT in philuras,) id est, in fasciolas longas & angustas. Plin. lib. 13. cap. 11. de chartis. *Præparantur ex eo chartæ, diuiso acu in prætenues, & quam latissimas philuras.*

106. MINISTRIS æthereis, Nempe, *angelis*.

107. BOLIDES,) id eſt, faces ardentes. Plin. lib. 2. cap. 26. de facibus. *Duo genera earum: Lampades vocant planè faces, alterum bolidas, quale Mutinenſibus malis viſum eſt.* Diſtant, quod faces veſtigia longa faciunt, priore ardente parte, bolis verò perpetua ardens longiorem trahit limitem. Græca dictio eſt, ἀπὸ τοῦ βάλλειν, id eſt, *à mittendo.* quaſi *miſſile* dicas. Vnde & *miſſiles haſtæ*, bolides Græcis dicuntur. Dicitur etiam *bolis*, plumbum nauticum, quod funiculo adpenſum, nautæ demittunt, marinæ altitudinis explorandæ gratia. Hinc in actis Apoſtolicis legimus cap. 27. *Demiſſa bolide.*

108. ARGENTEO.) In argenteo, duæ vltimæ vocales, E O, per ſynizeſin, vnam tantum efficiunt ſyllabam, vt apud Virgil. *Ferreiq; Eumonidum thalami.* Tribus enim modis duæ ſyllabæ in vnam coeunt. Aut enim geminæ vocales quæ diphthongon nequaquam conſtituunt in vnam ſolam ſcriptam vocalem mutantur, & eſt craſis, vt, *menſum*, pro, *menſium*, *ſemuſtus*, pro, *ſemiuſtus*, *ſemermis* pro *ſemiermis*. Aut tales vocales in diphthongum abeunt, & eſt ſynæreſis. vt Virg. *pellacis Olyſſei.* & *furiis Aiacis Oilei. Fixerit aripedem ceruam.* pro, aëripedem. *Phaeton*, pro *Phaëton*, apud Quintilianum ex Varrone. Aut manent quidem eædem vocales, ſed vna tantum ſyllaba pronunciantur. & vocatur ſynizeſis. vt *Dij*, *Aluearia*, *Eodem*, diſſyllabum, & hoc noſtrum, *Argenteo.* Vulgò tamen Grammatici tenue hoc diſcrimen, vno ſynæreſis nomine compreendunt. Nos tamen curioſis adoleſcentibus voluimus ſatisfacere.

109. SEDERAT.) Sunt non ineruditi quidam, qui verbum *Sedeo, es*, putant ſolum manſionem in loco ſignificare, cuius contrarium ſit, *Stare.* At ex his, quos ſubiungemus locis, liquidò adparebit etiam motum ſignificare, vt eius contrarium ſit, *Surgere.* Virg. Æneid. 6. Vix

Vix ea fatus erat, geminæ quùm fortè columbæ,
Ipsa sub ora viri, cælo venère volantes,
Et viridi sedère solo. Ouid. lib. 1. de arte.
Proximus ad dominam nullo prohibente sedeto.
Idem Metamor. 1.
Sedit Atlantiades, & euntem multa loquendo.
Detinuit sermone diem.

110. AD SATIEM,) id est, ad satietatem. *Saties* verò per quintam declinationem, & *satias, satiatu*, per tertiam, prisca sunt, & poëtis quam oratoribus adcommodatiora. Sillius lib. 4. *Nec finis, satiesúe, noui sed sanguinis ardor.* Sic Gellius lib. 7. *Quorum saties nunquam est.* Terentius Eunucho. *Vbi satias cepit fieri, commuto locum.* Lucretius. lib. 2. *Fessus satiate videndi.* & sæpè alias. Salustius, *Frumentiq́; ex inopia satias facta.* Liuius. lib. 10. belli Pun. *Si fortè iam satias amoris in vxore, ex multa copia eum cepit.* Sic Tacitus nonnunquam.

111. SVPERABAT.) Id est, super erat, restabat. Cicer. ad Atticum. lib. 15. *si quid æri meo alieno superabit.* Ouid. de arte. lib. 1.

Pars superat cœpti, pars est exhausta laboris.

Interdum *superare* ponitur, pro, abundare, copiaque affluere. Cicero. 5. de finibus. *Deq́; eo quod ipsis superat, alijs gratificari volunt.* Ouid. Met. 7. *Robora non desunt, superat mihi miles.* Item pro eo quod est, superstitem esse. Virg. Æneid. 3. ---*Satis vna superq́;*
Vidimus excidia, & captæ superauimus vrbi. & lib. 3.
Quid puer Ascanius, superátne, & vescitur aura?

112. INFERNE.) De inferiori parte. Eius contrarium est, *Supernè.*

113. FEROCIT) Ferociam ac sæuitiam exercet. Ouid.

Mox intractati more ferocit equi.

114. EN TRAHITVR per terram nobile corpus.) Pathos est, vt apud Lucanum. lib. 4.
Libycas en nobile corpus

Pascit aues.

115. LYCAON.) Nota est ex Ouidio, fabula Lycaonis in Lupum versi, quod Ioui adposuerit humanas carnes comedendas.

116. AVDACEM concurrere tauris,) vt apud Horatium, carminum. lib. 1. *Audax omnia perpeti.*

117. ARCES nequa sacrum tentet violare cadauer.) Ex historia dictum est. Nam quùm Datianus sancti Martyris corpus in agro canibus & feris exponi fecisset, adfuit coruus, qui ingenitæ voracitatis oblitus, non modò ipse à sancto cadauere abstinuit, sed etiam aduenientem lupum, clamore, & alarum impetu effugauit.

118. MORTE óbita.) Imitatione Lucretij. lib. 1. Item Ouid.

Morte obita, qualeis fama est volitare figuras.

119. CERITA MENTE,) hoc est, commota, non sana, furijs agitata. *Ceritos* enim dicebant Cereris indignatione vexatos, quod in eius sacris furore corriperentur. Horat. lib. 2. Serm. *Ceritus fuit, an commota crimine mentis? Eumorphi* verò satellitis huius nomen, apud sacratissimum doctissimumque poëtam Prudentium, qui nostri martyris agonem iambicis versibus decantauit, inuenimus.

120. VT quùm polluto materna cæde, &c.) Sensus est. Ita insutum est corpus sancti Martyris coriaceo culleo, vt insui solent paricidæ, vt demergantur. De quorum pœna, sic legimus, ff. *ad legem Pompeiam, de paricidis*, ex iuris consulto Modestino. *Pœna paricidij more maiorum hæc instituta est, vt paricida virgis sanguineis verberatus, deinde in culleo insuatur cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia. Deinde in mare profundum culleus iactetur, &c.* Vnde Iuuenalis. sat. 8. de Nerone matricida, dixit.

Cuius supplicio non debuit vna parari
Simia, nec serpens vnus, nec culleus vnus.

121. EBVSO.) *Ebusos*, insula est è regione promontorij Ferrariæ, sinus Sucronensis, nostra ætate vulgo *Ibyza* nominata, de qua Pomponius in fine. lib. 2. & Strab. lib. 3. & reliqui. Eius secundam syllabam Silius correptam posuit, lib. 3. *Iamq; Ebusos Phœnissa mouet, mouet Artabus arma.* Aliter tamē Dionysius in Periegesi. Νῆσος δ' ἑξείης γυμνήσιαι, ἀγχι δ' ἐβοῦσος. Nos tamen latinum poëtam maluimus imitari.

122. ADplicuit sinu.) Quarta nominum declinatio duas olim genitiui terminationes habuit. VS. & VIS. ex quarum vtrâque, remotione. S. extremæ literæ, fiebat tertius casus. Ab illo quidem in. VIS. qui adhuc exstat apud Terentium Heaut. scena. 3. *Eius anuis causa, opinor, quæ erat mortua*, & apud Varronē. lib. de re rustica. 1. cap. 2. *eius enim saliuam, esse fructuis venenum*, fit Datiuus in. VI. nempe hic qui nunc est in vsu frequentissimo. Ab illo autem in. VS. Datiuus exibat in. V. iuxta quam formationem Virgil. Georg. 4. cecinit. *Quod nec concubitu indulgent. &* Æneid. 1. *—Currumq; volans dat lora secundo.* & *Parce metu, &c.* Nec ea forma Ciceroni displicuit, quum dixit, *— quibus, subito impetu ac latrocinio parricidarum resistat.* Obseruaui etiam, hunc patrium casum de quo modo dixi, per. VVS. terminari, quemadmodum in venerandis Bracaræ Augustæ monumentis, adhuc ad summum templum legitur. SACERDOS CONVENTVVS BRACAR. AVG. Sed eam geminationem firmandæ syllabæ causa factam puto. Solebant enim veteres nonnunquam ea gratia vocales geminare. Notum verò est. VS. in genitiuo inflexionis quartæ produci. Videte si libet, quæ adnotauit Gellius cap. decimo sexto quarti libri. Sed ad rem. *Adplicuitq; sinu*, id est, sinui nempe Sucronensi.

123. PROPTERQVE Zacynthia --- litora.) id est. Saguntina. *Saguntos* enim vt auctor est Strab. lib. 3. à Zacinthijs condita est.

124. CRVDO cæſpite,) id eſt, ſolido non orato. Colum. lib.2.cap.2. —*necubi crudum ſolum & immotum relinquat.* Lucanus lib.3. —*crudaq́ extruxit brachia terra.*

125. DONEC Sidonijs,&c.) Senſus eſt, Valentiæ ſepultum fuiſſe Diuum Vincentium, vſque dum vile illud virorum par, nempe Olpius Epiſcopus, ſiue Olpas, & Iulianus comes, Hiſpaniam patefecit Sidonijs, hoc eſt, Afris. *Alter*, id eſt, Iulianus, ſubcenſus furijs ob ſtuprum filiæ à rege oblatum. Ea enim fuit cauſa, vt ille de prodenda Mauris Hiſpania exſecrandũ conſilium cæperit, *Alter*, hoc eſt, Olpius, concepto in regem odio, ſtimulos furijs illius addidit.

126. Aurai.) Diæreſis eſt frequentiſſima Lucretio, nec infrequens Virgilio, Vnde apud illum. *Aulai in medio. Furit intus aquai. Diues pictai veſtis.*

127. VERRIT ſpumantia cærula tonſis.) Vt Catullus Argonaut.

Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.

Virg. Æneid. 6. —*remis vada liuida verrunt.* Et idem ſunt, *tonſæ, palmæ, & remi.* Æneid. 6. —*in lento luctantur marmore tonſæ.*

IN LIBRVM POSTERIOREM ADNOTATIONES.

2. REGNA Gothorum.) Notissimum est Gothos in Hispanijs diu regnasse, vsq; ad tempora huius Roderici, qui eorum imperio finem attulit) bello infeliciter gesto cum Saracenis, à Iuliano comite proditore in Hispanias, per Herculei freti angustias intromissis.

3. INRVPIT ab Austro Afrorum, &c.) Colluuies Saracenorum significatur, ex omni Africa, tametsi præcipui exercitus Marrochiorum fuerint.

4. ABDERAMEN.) Exstat annalium regum Saracenorum, qui in Hispanijs, post cladem Gothicam regnauerunt, quem librum *Rases* Saracenus historiographus Miramolini Marrochiorum, Cordubæ regis, Arabice scripsit, atque ex Arabica lingua in Lusitanam vertit Magister Machometus itidem Saracenus. Ex huius itaque annalibus constat Abderamenem Moabiæ filium, circiter annum centesimum trigesimum, ab inuasa à Mauris Hispania, regnare in illa cœpisse. In cuius laudem, ita ille idem Rases ait. *Hic adflixit Christianos qui in Hispanijs erant, in tantum, vt nulla fuerit ciuitas, nullum castellum in Hispania vniuersa, quod ei potuerit resistere. Hic omnia corpora illorum quos Christiani honorant & vocant sanctos, in quos & credunt, adcipiebat & comburebat, & eorum Ecclesias,* sanè *pulcherrimas, destruebat. Quæ quum viderent Christiani, cum his talibus rebus fugiebant ad montes asperos, & præcipuè ad Asturiam. Et pleraq; quæ in Hispanijs in honore habebantur à Christianis, secundum*

dum eorum fidem, ipsi ea fugientes ad Asturiam secum portabant. Hactenus ille. Quuius testimonio, quæ de Abderamenis tyrannide in his carminibus scribimus, confirmantur.

5. MVLTÆ periere piorum relliquiæ heroum.) Declaratum est hoc in superiori adnotatione, vbi ex testimonio Rasæ, diximus Abderamenem sanctorum corpora combussisse.

6. MONTIBVS Asturicis.) Profligatis Gothorum copijs militum qualecunque robur superfuit, ad Asturum montes se recepit. Quo paulatim, quibus libertatis cura fuit, ex omni Hispania confluxere. De *Asturibus*, & eorum conuentu, & vrbe *Asturica* quæ nunc *Astorga* nominatur, Plin. lib. 3 cap. 3.

7. VNDE & restitui cœpit.) Duce Pelagio, Fafillæ Cantabrorum ducis filio, quem Hispanorum reliquiæ regem creauerunt.

8. SEDES mutarunt diui.) Per illud tempus sanctorum reliquias à fugientibus ad Asturum montes deportatas, præter Rasen Saracenum, Hispanorum historiæ satis declarant. Quod ad Vincentium nostrum attinet, sic Rases. *Anno*, inquit *Saracenorum centesimo trigesimo octauo, Abderamen ab Hispali cum exercitu mouit, vt expugnatum iret Valentiam. Et appropinquauit Valentia. Christiani autem qui ibi habitabant, habebant ibi corpus quuiusdam hominis mortui, cui nomen erat Vincentius. Et ipsi adorabant illum, tanquam Deum. Et qui eius corpus; in potestate habebant, persuadebant vulgo, quod ille cæcos faciebat videre, mutos loqui, & claudos rectè ambulare. Et sic dementabant stultam gentem. Quum autem cognouerunt de Abderamenis aduentu, timuerunt ne hac fallacia detegeretur, & fugerunt, corpus illius hominis secum portantes. Et dixit Alliboaces ille bonus eques Facensis, se quum quadam die cum suis comitibus, venationis causa, venisset ad oram maris in Algarbio, in fine montis qui mare illud*

ingrederetur, inueniſſe ibi corpus illius hominis cum ijs qui cũ illo fugerant à Valentia, qui ibi fecerant domunculas in quibus habitabant. Homines autem obcidiſſe, & pueros duxiſſe captiuos, corpus verò hominis illius ibi reliquiſſe. Hæc ad verbum tranſtulimus, vt annalium noſtrorum fidem, tametſi nihil opus erat, teſtimonio, quod impudentiſſimis calumnijs mixtum, religionis Chriſtianæ hoſtis de hac re perhibuit, iuuaremus. Videant ergo Galli, quid in oppido Caſtrenſi, pro reliquijs beati Vincentij, à monacho, neſcio quo non benè conficta fabula, venerentur.

9. ABYLEN. Calpenque.) *Abyle,* mons eſt Africæ, iuxta quem *Septa* vrbs: *Calpe* autem mons Hiſpaniæ, de quo priori libro. Hi duo Herculeæ metæ ſunt exiſtimati. Plin. in prooemio. lib. 3. *Proxima autem faucibus, vtrimq; impoſiti montes coërcent clauſtra. Abyla Africa, Europa Calpe, laborum Herculis meta.* Similia Pomponius lib. 2. cap. 6.

10. A LIBE.) *Libs* ventus eſt, flans ab obcaſu brumali, qui alio nomine *Africus* dicitur. Græci λίβα vocant. Latini *Africum,* auctore Plinio. lib 2. cap. 27. Vtrumq; nomen à patria, à *Libya Libs,* ab *Africa Africus,* Et fretum noſtri maris egredientibus, ſi ad *promontorium Sacrum* deflexerint, flat à tergo Africus.

11. MENTITVM effigiem, &c.) Hoc ita Strab. lib. 3. de *Sacro promontorio* loquens: *Id autem promontorium in mare procumbens, Artemidorus nauigio æquiparat, &c. Quod huic figuræ tres exiguas adſumat inſulas, è quibus vnam naualis inſtar roſtri, &c.*

12. DIXERVNT Hieron.) id eſt, *Sacrum.* Cauſa redditur, quur *Sacrum* ita vocetur promontorium, à fabula notiſſima Geryonis, qui inter Herculeos labores connumeratur. Ab Hercule autem id impoſitum fuiſſe nomen, in tanta rerum obſcuritate & fabularum deliramentis, delirabit profectò qui voluerit adfirmare. Nos in eam opinionem noſtris his carminibus propenſi

pensi videmur, partim quia ita libuit, partim quia græca nominis origo, nimirum à Græcis imposita, coniecturam, aut, si ita vultis, fictionem adiuuat. Et sanè videtur fabulæ cõgruere, eo loci venisse Herculem, quando cantatissima illa bonum præda, ex *Erytheia* Geryonis insula contra Lusitaniam sita, facta esse perhibetur. Scio, referente Plinio. lib. 4. cap. 22. Gadeis insulam ab Ephoro & Philistide Erytheiam vocatam, sicut & à Pherecide, auctore Strabone. lib. 3. quamquam, vt obiter id adnotemus, libentius apud Plinium etiam *Pherecide*n quàm *Philistiden* legerem. Sed quùm idem Plinius addiderit; *sunt qui aliam esse eam, & contra Lusitaniam arbitrentur, eodemq; nomine quondam ibi adpellatam*, horum opinionem sumus sequuti, præsertim quùm Stephanus in libris τῶν πέρι πόλεων, & in periegesi Dionysius, Græcus vterque auctor, *Gadeis* insulã aliam ab Erytheia fecerint, & quod maioris momenti est, Pomponius Mela Bæticus, ac regionis eius indigena. lib. 3. cap. 6. post Gadium historiam. ita de *Erytheia* loquatur. *In Lusitania, Erytheia, quam Geryone habitatam adcepimus.* Nec mirum videri debet, si nostro tempore nusquam ea sit, quùm in exemplis earum quæ perierint, sola recenseri non possit. Verùm, vt auctorem nominis nõ adfirmamus, ita religionem superstitionemve eorũ, qui nocturnis temporibus montem hunc à dijs possideri arbitrabãtur, sicut ait Strabo, causam fuisse, vt ita vocaretur, non ineptè suspicamur.

13. ERYTHEIA.) Pœnultima huius nominis syllaba diphthongo, *ei.* scribenda est, atque ideo producenda. Dionysius in periegesi.

ἔτοι, μὲν, ναίουσι βοοτρόφον ἀμφ᾽ ἐρύθειαν.

14. NOCTE Deos, &c.) Videndus est Strabo. lib. 3. ne in nugis longiores simus.

15. Indigenæ templum posuêre.) Strabo ex Artemidori testimonio, sic ait. *Eo in tractu templum quoq; Herculi*

euli dedicatum monstrari. Qua in re mentitum Ephorum, nec aram illic Herculi, nec Deorum cuipiam.
16. HERCVLIS Argiui) Hoc ideo, quia Græcus ac Thebanus Hercules fuisse dicitur, is, qui Geryonem debellauit. At in Gadibus, templum fuit Herculis Ægyptij, à Tyrijs conditum, vt ait Mela. lib. 3. cap. 9.
17. NVMINE Vectoris.) *Vector* etiam dicitur, is, qui in aliena vehitur naui. Cicer. 7. Philipp. *Et summi gubernatores in magnis tempestatibus à vectoribus admoneri solent.*
18. TEXVERVNT.) Vulgo iam innotuit pœnultimā tertiæ personæ præteriti exacti, in plurali numero, breuem interdum poni. vt Virgilio, *tulerunt.*
19. CITRA delicias,) id est, fine delicijs, quibus ante fortè vixerant in amœnissima vrbe Valentia. Sic Plinius. lib. 3. *Citra fastidium nominentur.*
20. FALCIFERO sub rege.) Sub Saturno.
21. GLAVCVS.) Epitheton *Neptuni*, propter marinas vndas, quæ viridi colori admistum habent albo-rem. De coloribus verò *glauco, cæsio, & cæruleo*, alio loco egimus diffusius, contra Antonium Thylesium.
22. PLENVM mare, plena malorū Terra.) Gnome est, græcis celebratissima.
23. REGVLVS Libys.) Alliboaces, de quo dictum est, adnotatione octaua.
24. PANNONIO genitore satus.) Alphonsus. Is est beatus ille & nunquam satis laudatus *Alphonsus Henricus*, Henrici comitis filius, primus Portugalliæ rex, qui vniuersam ferè Lusitaniam à sæuo Maurorum dominatu in libertatem adseruit. Nostri historici Pannoniæ regis filium fuisse dicunt, Hispani Lotharingum faciunt. Si quis eius legerit gesta, is, laudationem nostram non solum intra modum stetisse, sed etiam citra constitisse iudicabit.

LVSI

LVSI AVTEM REGNA,) Lusitaniam intelligimus. Plinius lib. 3. cap. 1. ex Varrone. *Lusum enim Liberi patris, ac Lysam cum eo bacchantem, nomen dedisse Lusitaniæ.* Quorum verborum hic est sensus. Lusum Liberi Patris filium, non autem socium, vt quidam contra loquendi vsum interpretantur, vnà cum *Lysa*, nimirum Liberi socio, nomen Lusitaniæ nostræ dedisse. Filium verò debere intelligi, ostendunt illa. *Deiphobe Glauci, Aiax Oilei.* & in sacris, *Alexander Philippi.* Igitur tam à *Luso*, quam à *Lysa*, regio nomen adcepit. Et à *Luso* quidem, *Lusitania* dicta est. A *Lysa* verò *Lysitania.* Vtroque enim modo adpellatur, teste Stephano. Et ff. *de censibus.* L. *In Lysitania, Pacenses & Emeritenses, iuris Italici sunt.* Eboræ marmoreus Lapis est elegantissima litera, in quo sic legimus.

LABERIÆ. L. F. GALLÆ
FLAMINICÆ. MVNIC. EBORENSIS
FLAMINICÆ. PROVINCIÆ
LYSITANIÆ.

Et reliqua quæ sequuntur. Hæc probabiliora existimamus de nominis patriæ nostræ origine, quamquæ nugatur Ioannes Annius cum suo fictitio Beroso. Vide quæ libro 1. Antiquitatum Lusitaniæ adnotauimus.
25. INTER Anam rutilumq;.) *Tagus* Lusitaniæ fluuius est nominatissimus, à quo nos ausi sumus hæc nomina deriuare. *Taganus*, vt ad *Britonium Italum:*

Quantum & cygnaus vada per Tyberina Taganos
Vinceret, vt vincit, cantus onocrotalos.

Item patronymicum femininum, *Tagis. idis. vt de* obitu Beatricis Allobrogum reginæ.

Nymphæ etiam Tagides, nymphæ Oceanitides omnes.

Et *Custaganus, Transtaganusq;*, de quibus mox. *Tagus* autem mediam secat Lusitaniam, *Anas* vero Lu-

ſitaniam à Bætica ſeparat. Regio inter vtrumque amnem, optima Luſitaniæ pars, *Allentagio* vulgo dicitur. Nos *Transtaganam* fecimus, & populos *Transtaganos*, ſicut veteres dixerunt, *Transpadanos*, & *Transrhenanos*. Et contra, *Cistaganos* adpellauimus Olyſipponenſes, Scallabitanos, & reliquos vſque ad Durium, qui *Turduli* olim *veteres* dicebantur. Ratio eſt, quòd Portugalliæ regnum, in initio, intra *Durium & Minium*, quaſi in ſuis incunabulis continebantur. Deinde vſque ad *Mundam* fluuium propagatum, vrbem *Conimbricam* his diebus ab Diuo Ioanne huius nominis tertio celebri bonarũ omnium artium academia exornatam, caput regni habuit. De qua vrbe, deque eius vetuſtate & nomine, aliquando non vulgaria neque obuia nos dicturos pollicemur, ſi vita ſuppeditauerit. Ergo qui in eis erant locis, merito *Cistaganos*, & *Transtaganos*, eos qui cis Tagum & vltra Tagum incolerent, nominabant. Manſit vetuſta ea conſuetudo etiam mutata regni ſede, poſt expugnatam & regno adiectam vtramque hanc regionem.

26. ISMARIO.) Videat hiſtoriam Diui Alphonſi Henrici, qui pleniùs rem velit cognoſcere.

27. VANDALIAM.) Gothi non vna gens. Diuerſæ enim nationes fuerunt, etſi vulgo vno adpellari ſoleant *Gothorum* nomine. Nam Hiſpanias *Gothi*, *Vandali*, *Alani*, & *Sueui* inuaſerunt. Ex quibus, *Sueui* Callæciam, *Alani* maxima ex parte Luſitaniam, *Vandali* Bæticam, *Gothi* reliquum Hiſpaniarum tenuere. *A Vandalis* ergo, Bætica *Vandalia* facta eſt, inde *Vandalica*, poſtremò corrupta voce *Andalucia*.

28. PERFVSVM Oceano regnum.) *Luſitania*, inquit Mela, *Oceano tantummodo obiecta eſt, ſed latere ad ſeptentrionem, fronte ad obcaſum*.

29. VBI paruus in anguem Contortus rigat arua Chalibs.) Topographia eſt, agri Orichienſis, in quo memo-

memorabilem illam Alphonſi Henrici regis, aduerſus Iſmarium, & quatuor alios Saracenorũ reges pugnam, victoriamque fuiſſe legimus. Porrò *Chalibs*, is fluuius eſt, qui ex agro Pacenſi corriuatus, ac primùm emendicatis aquis ignobilis, inde paulatim creſcens, Salacienſem intrat ſinum, iam ſpatioſus ac nauigiorum capax. Raphael Volateranus illum iuxta Aradum, & Pacem Iuliam fluere dicit. Sed quam *Aradum* ibi ſomniet, non intelligo. Hic, niſi fallimur, Ptolemæo Calipûs adpellatur, quùm in eo tractu alius nullus ſit, qui debuerit nominari.

30. Quarto ſeclo.) Saraceni circa annum ſeruatoris noſtri ſeptingenteſimum quinquaſimum, Hiſpanias inuaſerunt. At Alphonſus hic noſter, paulò poſt annum milleſimum centeſimum, regiam in Luſitania poteſtatem eſt auſpicatus.

31. NON procul hinc.) Ab Oricho ad Sacrum promontorium vix bidui iter eſt.

32. LIBITINA.) Plutarchus in vita Numæ Pompilij, auctor eſt, *Libitinam* adpellari, deam inſpectricem eorum quæ mortuis iuſta præſtantur, quam alij *Proſerpinam*, alij *Venerem* crediderunt, ad illam quæ ad ortum obitumque pertinent, referentes. Idem Plutarchus in problematis. Quid cauſæ eſt, quod in æde *Libitina*, quæ ad ſepulturam pertinent vendere conſueuerunt, *Libitinam* nihil aliud, niſi *Venerem* eſſe exiſtimantes? &c. Ponitur ergo *Libitina* aliquando pro ipſa *morte*. Horat. epiſtolarum. lib. 2.

Miraturq; nihil, niſi quod Libitina ſacrauit.

Iuuenalis ſat. 12. —*Nam ſi Libitinam euaſerit æger.*

Aliquando pro *feretro ac funerali pompa*. Horatius. lib. 3. carminum.

Non omnis moriar, multaq; pars mei
Vitabit Libitinam.

Aliquando pro *conlegio* eorum qui ex æde Libitinæ, funeribus neceſſaria, ſuas itẽ operas, ſeruorṹque, loca-

bant. vendebantque. Liuius lib. 10. belli Macedonici. *In vrbe tanta fuit pestilentia, vt tunc vix Libitina sufficeret.* Suetonius in Nerone. cap. 39. *Pestilentia vnius autumni, qua. xxx funerum milia in rationem Libitinæ venerunt.* Horatius. 2. sermonem.

Autumnusq; grauis Libitinæ quæstus acerbæ.

Hi autem dicebantur *Libitinarij.* Vlpianus, L. Quicunque. ff. de institoria actione. *Si Libitiniarius, quem Græci νεκροθάπτην vocant, seruum pollinctorem habuerit.*

33. BARBARVS Alboaces.) Hic est *Alliboaces Pacensis*, de quo diximus adnotatione octaua.

34. IMPACATA) hostilia, nondum pacata, subaudi loca. Virg. Georg 3.

Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.

35. OLISIPO) In oratione quam pro rostris pronunciauimus, antequam hinc Conimbricam migraret academia, satis ostendimus, vrbis vestræ nomen scribi debere non amplius quam septem his literis. O. L. I. iota. S. simplici. Iota iterum, P. simplici. & O. Heic nihil addendum putaui, nisi vt eius rei curiosi, vetusta marmora, quæ multa in vrbe sunt, ne grauentur inspicere.

36. LÆRTIADEN iactabat condita ab illo) Ab Olysse conditam Olisiponem, auctor est Solinus, & Strabo, quanquam Strabonis testimonium Laurentius Vallensis cauillatus est. Vide inf. 45.

37. MALE concordes.) De hac re ita Strab. li. 3. *Græcos autem barbaras nationes errabundos peragrasse, hanc causam habuit, quia paruas in portiones dissipati fuerant, quum imperia per elationem atque contumaciam inuicem minimè coalescerent, & conspirationem inter se nequaquam haberent.*

38. PRÆTER Menelaon.) De Menelai erroribus. Strab. lib. 1. Aristonicum Grammaticum suæ ætatis scripsisse confirmat. Ex quo illum per Gades circunductum

ctum nō ad Aethiopiam modò, verùm & ad Indicam vſque regionem inducit.

39. LVNÆ montis.) *Lunæ* mons eſt, is quem noſtra ætas *Sintrienſem*, ab oppido adpellat, ad quuius promontorij radices, in litore templum olim fuit Solis & Lunæ, ſumma religione cultum. De quo in *Antiquitatibus Luſitaniæ* aliquando, Deo fauente, dicemus.

40. COLLES Barbarios) *Barbarium* promontoriū Straboni & Ptolemæo, id eſt, quod vulgo dicimus *Caput Spicel*, vltra oppidum *Cecimbriam*, Mōtem autem *Barbarium*, *Rabidam* vulgus adpellat. quuius omnes rupes ſunt iaſpideæ, terrenum cocco laudatiſſimo abūdans. Populi verò promontorij huius, ab vrbe *Neocetobriga*, ſic enim rectè *Setubal* vocabitis, quaſi nouam *Cetobrigam*, ex veteri Cetobriga factam, inde per oppidum *Palmellam*, vſque ad ſinum Oliſiponenſem, *Barbarij* nominandi ſunt. Quæ verò de *Cætu Tubalis*, vnde ciuitas *Cœtubal*, dicta ſit, præter alios vetuſtiores, Florianus tradit, qui modo fabuloſas Antiquitates edidit, quum tamen multo ſuperioribus fuerit diligentior, &, quantum adhoc attinet, eruditior, deliramenta putate. Dicimus autem colles hos *Barbarios*, inſigneis *Lenæo & Pallade*, hoc eſt, vino & oleo, propter vberrimam vtriuſque rei copiam toto hoc tractu prouenientem, præcipuè ad oppidum *Almadam*, in extremis tractus *Barbarij* collibus ſitum, è regione Oliſiponis,

41 INTIMA deinde ſinus.) Hic eſt ſinus Oliſiponēſis, in quem exoneratur Tagus, alter à Salacienſi. Quod expreſſit Pomponius. lib. 3. cap. 1. *Sinus*, inquit, *interſunt, & eſt in proximo Salacia, in altero Oliſipo, & Tagi oſtium, amnis aurum gemmáſque generantis.* In qua re, turpiter & ante pedes lucente via, Ioachimus Vadianus hallucinatus eſt, qui Plinium. lib. 4. cap. 22. dixit, Oliſiponem *Salaciam* nomi-

nominasse. Sed decepit illum forte lectio punctis non suis locis interturbata. Legebatur enim sic. *Oppida memorabilia à Tago in ora, Olisipo, equarum è Fauonio vento conceptu nobile, Salacia cognominata. Vrbs imperatoria Merobriga.* Sed non videbat Vadianus, malè quadrare *nobile*, cum, *cognominata?* Saltem admoneri poterat ab ipso Mela quem interpretabatur. Vos ergo ita distinguite. *Oppida memorabilia à Tago, in ora, Olisipo, equarum è Fauonio vento conceptu nobile,* scilicet *oppidum.* Inde adfixa hypodiastole; *Salacia cognominata vrbs imperatoria.* & ibi ponatur hypodiastole altera. Tum sequitur, *Merobriga, Promontorium Sacrũ.* &c. Error autem Vadiani vsq; eo serpsit, vt etiam qui Ptolemæum impresserint, vbi *Oliosipon* ille scripsit, addiderint, vulgo *Lisbona, Salacia* Plinio, *Vlyssea* Straboni. Cæterùm *Salacia* est, quæ à Saracenis nomine mutato, nunc *Alcassar Salis* vocatur, vrbs nostro tempore non admodum clara, nisi ciuem haberet *Petrum Nonium* Mathematicum cumprimis nobilem. Quia verò Plinij locum vnum emendauimus, qui ad nostram patriam pertinebat, non ab re fuerit admonere, dispungendum esse titulum eiusdem capitis. Nec enim ibi incipit, sed continuanda lectio est cum superiori capite, vsque ad hæc verba. *Ex aduerso Celtiberia.* Ibi enim caput incipit. & ibi ponendus est titulus. ——— Insulæ in Oceano.

42. RVRA videbat Morigera.) id est cultui apta. Strab. lib. 3. *Ager circum circa bonitate conspicuus.* Nos experimur quinquagesimo à satione die, messem ibi fieri, nec propter consuetudinem admiramur.

43. LONGEQVE per arua refundit.) Strabo. *Hoc in loco, & maris infusiones ingruunt, quarum vna vltra stadia. cccc. extenditur.* &c. Post. *Superioribus autem in campis, quum æstus fit, duæ inundationes diffundũtur, vt ad stad. C. & L. facies exstet pelagi, reddaturq; planities totã nauigabilis.*

44. NAM

44. NAM lingua ferè cõmunis) Probabilior redditur res, ex eo quod dicitur, linguam ferè eamdem Lusitanis fuisse, vt pote à Luso adceptam, Et reuerà, durant adhuc in nostra lingua, quæ pœne latina est, multa græcitatis vestigia.

45. COLLE super) Videlicet in colle orientali. Nam ibi tantum ciuitas erat, etiam Romanorum temporibus. De templo verò *Palladis*, Strab. lib. 3. *Superiora regionis montana loca Olysseiam ostentant, in qua est Mineruæ templum.* Atq; hic est Strabonis locus, quem sup. 36. diximus. Laurẽtium fuisse cauillatum, cui modo respondere non vacat.

46. SIGNAQVE naufragij) Strabo. *Asclepiades*, inquit, *Myrlianus, qui in Turdetania literarij ludi magister extitit, deq; regionis illius gentibus exponendis librum edidit. Is monumenta quædam de Olyssis errore in Mineruæ templo esse commemorat, parmas suspẽsas, aplustria, rostraq; naualia.*

47. CLARISSIMA) Olisiponis vrbis nobilitas, longiorem tractatum postulat.

48. INTER. Lusiadas.) *A Luso*, vnde *Lusitania* dicta est, *Lusiadas* adpellauimus *Lusitanos*, & à *Lysa Lysiadas*, sicut ab *Aenea Aeneadas* dixit Virgilius. Nec malè subcessit. Nam video id multis adlibuisse, præsertim autem *Georgio Cœlio*, Lusitaniæ nostræ ornamento, siue poeticam facultatem, siue Ciceronianæ orationis æmulationem spectes.

49. QVOT habet Libye latissima iugera.) Africa, qua colitur, fertilitati, nulla terrarum comparanda est. Hinc Horatius carminum primo. *Quidquid de Libycis verritur areis.*

50. GRAIAM vrbem.) Nempe Olisiponem.

51. STRAVITQVE mare) id est, planum, & immotum fecit. Virg. Æneid. 5 — *placidi strauerunt æquora venti.*

52. SALTIM) id est, per saltus; saltuatim. Vetustum

ſtum aduerbium eſt. Quumq́ue eadem opera potuiſſemus verſum explere, ſi dixiſſemus, *adplaudere ſaltu*, quia tamen, *Saltim*, ſignificantius eſt, exprimitur enim coruorum geſtus ille & ſaltatio, maluimus illo vti, bona doctorum venia.

RERVM prudentia maior, Aut datur. &c.) Adluſio eſt ad Virgilianum illud Georg. 1.

Haud equidem credo, quia ſit diuinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.

54. OSCINIBVS.) Quia de augurio loquebatur, augurali verbo vſus eſt. *Vocãt* autem augures aueis *oſcines*, quæ ore auſpicium faciunt, quemadmodum *alites*, quæ volatu. Cicero de Natura Deorum. lib. 2. *Quamquam aueis quaſdam & alites & oſcines, vt noſtri augures adpellant. &c.* Et ad Cecinnam: *Non igitur ex alitis inuolatu, neq; ex cantu ſiniſtro oſcinis, vt in noſtra diſciplina eſt.* Vbi videtis apertam etymi vtriuſque vocabuli rationem. Nempe ab *alis, alites*, à cantu *oris, oſcines* dici. Horat. 3. carm. *Oſcinem coruum prece ſuſcitabo — Solis ab ortu.* Ad alterum genus, *alituum* videlicet, pertinet, quod ſequitur, *Præpetis omnia penna*, Quid autem ſint aues *præpetes*, videre poteſtis apud Gellium. lib. 6. cap 6. Nam de ſignificatione iſta communi, pro *veloci*, nihil opus eſt adnotare.

55. OVATIO corui.) Et hoc ex eadem diſciplina eſt, & propriè *coruorum*. Virgilius. Georg. 1. — *& ouantes gutture corui.*

56. ALITVVM oſcenarum.) *Alites oſcenæ* ſunt, auctore Seruio, quæ canendo aduerſa ſignificant. Feſtus etiam, quæ mali ominis eſſent, *Oſcena* veteribus dicta fuiſſe ait. Hinc Aeneid. 12. — *Ne me terrete timentem.*

Oſcenæ volucres.

Heic pro immundis adcipimus, & ingluuiei deditis, quales ſunt corui, & quæ cadauera ſequũtur, Sicut Virgil. *Oſcenos* dixit *canes*, Georg. 1. Quod ad ſcribendi rationem

tionem attinet. *Osci*, populi fuere Italiæ, de quibus Æneid. 7. *Oscorumq́; manus*. Hi notati sunt à veteribus, de spurcarum libidinum frequentiori vsu. Vnde verba impudentia & spurca, auctore Festo, Verrius tradit *Oscena* adpellari. Ergo in prima syllaba. B. scribendum non est, neque diphthōgus in pœnultima. Quæ etiam si ab *scena* deriuentur, vt, Varroni placet, omnine etymologias coactiores facit, absq; diphthongo scribi oportet, quoniam in *scena*, quæ Græce σκηνὴ dicitur, nulla est. Memini plura de hac re Baptistam Pium in Lucretium esse commentatum. Vos siue ab *Oscis*, siue ab *scena* magis probetis, pœnultimam simplici, E, scribite. De prima verò syllaba vel per, B, vel sine, B, scribenda, vestro arbitrio statuite.

57. ITERIS) *Iter, iteris*, dicebant antiqui. Et *itiner, itineris*. Lucretius. lib. 5.

Conquussos itere, & labefactos aëre multo,

Idem. lib. 6.

Obuia disquutiat plagis, itinerq́; sequatur. —— & apud Plautum sæpe: Manilius item. lib. 1.

Fecit & ignotis itiner commercia terris.

Recentiores, in tribus casibus numeri singularis, alterum nomē receperunt, nempe, iter, ab altero, declinationem reliquam. Licet poetis vtrumq; rarò imitari.

58. PÆANA) Laudem, hymnum. Etsi Pęan propriè in laudem Apollinis sit, qui *Paan* dictus est, à medendo.

59. EFFOSSVM feretrum.) Modò extractum, ex terra vbi prius latebat. Plaut. Pseudolo.

Ex hoc sepulcro vetere, viginti minas

Effodiam ego hodie. Cicero off. 2. *Argentum effoderetur penitus abditum.*

60. CLAM socios) Clam etiam adcusatino eleganter præponimus. Plaut, Casina. *Bona multa faciā, clam meam hanc vxorem.* Cicer. in Salust. *timens ne facinora eius clam vos essent.*

61. BAS-

IN LIBRVM POSTERIOREM ADNOTATIONES.

2. EGNA Gothorum.) Notissimum est Gothos in Hispanijs diu regnasse, vsq; ad tempora huius Roderici, qui eorum imperio finem attulit) bello infeliciter gesto cum Saracenis, à Iuliano comite proditore in Hispanias, per Herculei freti angustias intromissis.

3. INRVPIT ab Austro Afrorum, &c.) Colluuies Saracenorum significatur, ex omni Africa, tametsi præcipui exercitus Marrochiorum fuerint.

4. ABDERAMEN.) Exstat annalium regum Saracenorum, qui in Hispanijs, post cladem Gothicam regnauerunt, quem librum *Rases* Saracenus historiographus Miramolini Marrochiorum, Cordubæ regis, Arabice scripsit, atque ex Arabica lingua in Lusitanam vertit Magister Machometus itidem Saracenus. Ex huius itaque annalibus constat Abderamenem Moabiæ filium, circiter annum centesimum trigesimum, ab inuasa à Mauris Hispania, regnare in illa cœpisse. In quuius laudem, ita ille idem Rases ait. *Hic adflixit Christianos qui in Hispanijs erant, in tantum, vt nulla fuerit ciuitas, nullum castellum in Hispania vniuersa, quod ei potuerit resistere. Hic omnia corpora illorum quos Christiani honorant & vocant sanctos, in quos & credunt, adcipiebat & comburebat, & eorum Ecclesias,* sanè *pulcherrimas, destruebat. Quæ quum viderent Christiani, cum his talibus rebus fugiebant ad montes asperos, & præcipuè ad Asturiam. Et pleraq; quæ in Hispanijs in honore habebantur à Christianis, secundum*

dum eorum fidem, ipsi ea fugientes ad Asturiam secum portabant. Hactenus ille. Quuius testimonio, quæ de Abderamenis tyrannide in his carminibus scribimus, confirmantur.

5. MVLTÆ periere piorum relliquiæ heroum.) Declaratum est hoc in superiori adnotatione, vbi ex testimonio Rasæ, diximus Abderamenem sanctorum corpora combussisse.

6. MONTIBVS Asturicis.) Profligatis Gothorum copijs militum qualecunque robur superfuit, ad Asturum montes se recepit. Quo paulatim, quibus libertatis cura fuit, ex omni Hispania confluxere. De *Asturibus*, & eorum conuentu, & vrbe *Asturica* quæ nunc *Astorga* nominatur, Plin. lib. 3 cap 3.

7. VNDE & restitui cœpit.) Duce Pelagio, Fafillæ Cantabrorum ducis filio, quem Hispanorum reliquiæ regem creauerunt.

8. SEDES mutarunt diui.) Per illud tempus sanctorum reliquias à fugientibus ad Asturum montes deportatas, præter Rasen Saracenum, Hispanorum historiæ satis declarant. Quod ad Vincentium nostrum attinet, sic Rases. *Anno*, inquit *Saracenorum centesimo trigesimo octauo, Abderamen ab Hispali cum exercitu mouit, vt expugnatum iret Valentiam. Et appropinquauit Valentia. Christiani autem qui ibi habitabant, habebant ibi corpus quuiusdam hominis mortui, cui nomen erat Vincentius. Et ipsi adorabant illum, tanquam Deum. Et qui eius corpus; in potestate habebant, persuadebant vulgo, quod ille cæcos faciebat videre, mutos loqui, & claudos rectè ambulare. Et sic dementabant stultam gentem. Quum autem cognouerunt de Abderamenis aduentu, timuerunt ne hac fallacia detegeretur, & fugerunt, corpus illius hominis secum portantes. Et dixit Alliboaces ille bonus eques Facensis, se quum quadam die cum suis comitibus, venationis causa, venisset ad oram maris in Algarbio, in fine montis qui mare illud*

ingrederetur, inueniſſe ibi corpus illius hominis cum ijs qui cũ illo fugerant à Valentia, qui ibi fecerant domunculas in quibus habitabant. Homines autem ecidiſſe, & pueros duxiſſe captiuos, corpus verò hominis illius ibi reliquiſſe. Hæc ad verbum tranſtulimus, vt annalium noſtrorum fidem, tametſi nihil opus erat, teſtimonio, quod impudentiſſimis calumnijs mixtum, religionis Chriſtianæ hoſtis de hac re perhibuit, iuuaremus. Videant ergo Galli, quid in oppido Caſtrenſi, pro reliquijs beati Vincentij, à monacho, neſcio quo non benè confiĉta fabula, venerentur.

9. ABYLEN. Calpenque.) *Abyle*, mons eſt Africæ, iuxta quem *Septa* vrbs: *Calpe* autem mons Hiſpaniæ, de quo priori libro. Hi duo Herculeæ metæ ſunt exiſtimati. Plin. in procemio. lib. 3. *Proxima autem faucibus, vtrimq; impoſiti montes coërcent clauſtra. Abyla Africa, Europa Calpe, laborum Herculis metæ.* Similia Pomponius lib. 2. cap. 6.

10. A LIBE.) *Libs* ventus eſt, flans ab obcaſu brumali, qui alio nomine *Africus* dicitur. Græci λίβα vocant. Latini *Africum*, auĉtore Plinio. lib. 2. cap. 27. Vtrumq; nomen à patria, à *Libya Libs*, ab *Africa Africus*, Et fretum noſtri maris egredientibus, ſi ad *promontorium Sacrum* deflexerint, flat à tergo Africus.

11. MENTITVM effigiem, &c.) Hoc ita Strab. lib. 3. de *Sacro promontorio* loquens: *Id autem promontorium in mare procumbens, Artemidorus nauigio æquiparat, &c. Quod huic figuræ tres exiguas adſumat inſulas, è quibus vnam naualis inſtar roſtri, &c.*

12. DIXERVNT Hieron.) id eſt, *Sacrum*. Cauſa redditur, quur *Sacrum* ita vocetur promontorium, à fabula notiſſima Geryonis, qui inter Herculeos labores connumeratur. Ab Hercule autem id impoſitum fuiſſe nomen, in tanta rerum obſcuritate & fabularum deliramentis, delirabit profeĉtò qui voluerit adfirmare. Nos in eam opinionem noſtris his carminibus propenſi

pensi videmur, partim quia ita libuit, partim quia græca nominis origo, nimirum à Græcis imposita, coniecturam, aut, si ita vultis, fictionem adiuuat. Et sanè videtur fabulæ cōgruere, eo loci venisse Herculem, quando cantatissima illa bonum præda, ex *Erytheia* Geryonis insula contra Lusitaniam sita, facta esse perhibetur. Scio, referente Plinio. lib. 4. cap. 22. Gadeis insulam ab Ephoro & Philistide Erytheiam vocatam, sicut & à Pherecide, auctore Strabone. lib. 3. quamquam, vt obiter id adnotemus, libentius apud Plinium etiam *Pherecidem* quàm *Philistiden* legerem. Sed quùm idem Plinius addiderit; *sunt qui aliam esse eam, & contra Lusitaniam arbitrentur, eodemq́; nomine quondam ibi adpellatam*, horum opinionem sumus sequuti, præsertim quùm Stephanus in libris τῶν πέρι πόλεων, & in periegesi Dionysius, Græcus vterque auctor, *Gadeis* insulā aliam ab Erytheia fecerint, & quod maioris momenti est, Pomponius Mela Bæticus, ac regionis eius indigena. lib. 3. cap. 6. post Gadium historiam. ita de *Erytheia* loquatur. *In Lusitania, Erytheia, quam Geryone habitatam adcepimus.* Nec mirum videri debet, si nostro tempore nusquam ea sit, quùm in exemplis earum quæ perierint, sola recenseri non possit. Verùm, vt auctorem nominis nō adfirmamus, ita religionem superstitionemúe eorū, qui nocturnis temporibus montem hunc à dijs possideri arbitrabātur, sicut ait Strabo, causam fuisse, vt ita vocaretur, non ineptè suspicamur.

13. ERYTHEIA.) Pœnultima huius nominis syllaba diphthongo, *ei.* scribenda est, atque ideo producenda. Dionysius in periegesi.

ἔτοι, μὲν, ναίουσι βοοτρόφον ἀμφ' ἐρυθείαν.

14. NOCTE Deos, &c.) Videndus est Strabo. lib. 3. ne in nugis longiores simus.

15. Indigenæ templum posuêre.) Strabo ex Artemidori testimonio, sic ait. *Eo in tractu templum quoq; Her-*

 culi

culi dedicatum monstrari. Qua in re mentitum Ephorum, nec aram illic Herculi, nec Deorum cuipiam.
16. HERCVLIS Argiui) Hoc ideo, quia Græcus ac Thebanus Hercules fuisse dicitur, is, qui Geryonem debellauit. At in Gadibus, templum fuit Herculis Ægyptij, à Tyrijs conditum, vt ait Mela. lib. 3. cap. 9.
17. NVMINE Vectoris.) *Vector* etiam dicitur, is, qui in aliena vehitur naui. Cicer. 7. Philipp. *Et summi gubernatores in magnis tempestatibus à vectoribus admoneri solent.*
18. TEXVERVNT.) Vulgo iam innotuit pœnultimā tertiæ personæ præteriti exacti, in plurali numero, breuem interdum poni. vt Virgilio, *tulerunt.*
19. CITRA delicias,) id est, sine delicijs, quibus ante fortè vixerant in amœnissima vrbe Valentia. Sic Plinius. lib. 3. *Citra fastidium nominentur.*
20. FALCIFERO sub rege.) Sub Saturno.
21. GLAVCVS.) Epitheton *Neptuni*, propter marinas vndas, quæ viridi colori admistum habent alborem. De coloribus verò *glauco, cæsio, & cæruleo*, alio loco egimus diffusius, contra Antonium Thylesium.
22. PLENVM mare, plena malorū Terra.) Gnome est, græcis celebratissima.
23. REGVLVS Libys.) Alliboaces, de quo dictum est, adnotatione octaua.
24. PANNONIO genitore satus.) Alphonsus. Is est beatus ille & nunquam satus laudatus *Alphonsus Henricus*, Henrici comitis filius, primus Portugalliæ rex, qui vniuersam ferè Lusitaniam à sæuo Maurorum dominatu in libertatem adseruit. Nostri historici Pannoniæ regis filium fuisse dicunt, Hispani Lotharingum faciunt. Si quis eius legerit gesta, is, laudationem nostram non solum intra modum stetisse, sed etiam citra constitisse iudicabit.

LVSI AVTEM REGNA,) Lusitaniam intelligimus. Plinius lib. 3. cap. 1. ex Varrone. *Lusum enim Liberi patris, ac Lysam cum eo bacchantem, nomen dedisse Lusitaniæ.* Quorum verborum hic est sensus. Lusum Liberi Patris filium, non autem socium, vt quidam contra loquendi vsum interpretantur, vnà cum *Lysa*, nimirum Liberi socio, nomen Lusitaniæ nostræ dedisse. Filium verò debere intelligi, ostendunt illa. *Deiphobe Glauci, Aiax Oilei.* & in sacris, *Alexander Philippi.* Igitur tam à *Luso*, quam à *Lysa*, regio nomen adcepit. Et à *Luso* quidem, *Lusitania* dicta est. A *Lysa* verò *Lysitania.* Vtroque enim modo adpellatur, teste Stephano. Et ff. *de censibus.* L. *In Lysitania, Pacenses & Emeritenses, iuris Italici sunt.* Eboræ marmoreus Lapis est elegantissima litera, in quo sic legimus.

LABERIÆ. L. F. GALLÆ
FLAMINICÆ. MVNIC. EBORENSIS
FLAMINICÆ. PROVINCIÆ
LYSITANIÆ.

Et reliqua quæ sequuntur. Hæc probabiliora existimamus de nominis patriæ nostræ origine, quamquæ nugatur Ioannes Annius cum suo fictitio Beroso. Vide quæ libro 1. Antiquitatum Lusitaniæ adnotauimus.

25. INTER Anam rutilumq;.) *Tagus* Lusitaniæ fluuius est nominatissimus, à quo nos ausi sumus hæc nomina deriuare. *Taganus*, vt ad *Britonium Italum:*

Quantum & cygnaus vada per Tyberina Taganos
Vinceret, vt vincit, cantus onocrotalos.

Item patronymicum femininum, *Tagis. idis. vt de* obitu Beatricis Allobrogum reginæ.

Nymphæ etiam Tagides, nymphæ Oceanitides omnes.
Et *Castaganus, Transtaganusq;*, de quibus mox. *Tagus* autem mediam secat Lusitaniam, *Anas* vero Lu-

ſitaniam à Bætica ſeparat. Regio inter vtrumque amnem, optima Luſitaniæ pars, *Allentagio* vulgo dicitur. Nos *Tranſtaganam* fecimus, & populos *Tranſtaganos*, ſicut veteres dixerunt, *Tranſpadanos*, & *Tranſrhenanos*. Et contra, *Ciſtaganos* adpellauimus Olyſipponenſes, Scallabitanos, & reliquos vſque ad Durium, qui *Turduli* olim *veteres* dicebantur. Ratio eſt, quòd Portugalliæ regnum, in initio, intra *Durium & Minium*, quaſi in ſuis incunabulis continebantur. Deinde vſque ad *Mundam* fluuium propagatum, vrbem *Conimbricam* his diebus ab Diuo Ioanne huius nominis tertio celebri bonarū omnium artium academia exornatam, caput regni habuit. De qua vrbe, deque eius vetuſtate & nomine, aliquando non vulgaria neque obuia nos dicturos pollicemur, ſi vita ſuppeditauerit. Ergo qui in eis erant locis, merito *Cis taganos*, & *Tranſtaganos*, eos qui cis Tagum & vltra Tagum incolerent, nominabant. Manſit vetuſta ea conſuetudo etiam mutata regni ſede, poſt expugnatam & regno adiectam vtramque hanc regionem.

26. ISMARIO.) Videat hiſtoriam Diui Alphonſi Henrici, qui pleniùs rem velit cognoſcere.

27. VANDALIAM.) Gothi non vna gens. Diuerſæ enim nationes fuerunt, etſi vulgo vno adpellari ſoleant *Gothorum* nomine. Nam Hiſpanias *Gothi*, *Vandali*, *Alani*, & *Sueui* inuaſerunt. Ex quibus, *Sueui* Callæciam, *Alani* maxima ex parte Luſitaniam, *Vandali* Bæticam, *Gothi* reliquum Hiſpaniarum tenuere. *A Vandalis* ergo, Bætica *Vandalia* facta eſt, inde *Vandalica*, poſtremò corrupta voce *Andalucia*.

28. PERFVSVM Oceano regnum.) *Luſitania*, inquit Mela, *Oceano tantummodo obiecta eſt, ſed latere ad ſeptentrionem, fronte ad obcaſum.*

29. VBI paruus in anguem Contortus rigat arua Chalibs.) Topographia eſt, agri Orichienſis, in quo memo-

memorabilem illam Alphonsi Henrici regis, aduersus Ismarium, & quatuor alios Saracenorũ reges pugnam, victoriamq́ue fuisse legimus. Porrò *Chalibs*, is fluuius est, qui ex agro Pacensi corriuatus, ac primùm emendicatis aquis ignobilis, inde paulatim crescens, Salaciensem intrat sinum, iam spatiosus ac nauigiorum capax. Raphael Volateranus illum iuxta Aradum, & Pacem Iuliam fluere dicit. Sed quam *Aradum* ibi somniet, non intelligo. Hic, nisi fallimur, Ptolemæo Calipûs adpellatur, quùm in eo tractu alius nullus sit, qui debuerit nominari.

30. Quarto seclo.) Saraceni circa annum seruatoris nostri septingentesimum quinquasimum, Hispanias inuaserunt. At Alphonsus hic noster, paulò post annum millesimum centesimum, regiam in Lusitania potestatem est auspicatus.

31. NON procul hinc.) Ab Oricho ad Sacrum promontorium vix bidui iter est.

32. LIBITINA.) Plutarchus in vita Numæ Pompilij, auctor est, *Libitinam* adpellari, deam inspectricem eorum quæ mortuis iusta præstantur, quam alij *Proserpinam*, alij *Venerem* crediderunt, ad illam quæ ad ortum obitumq́ue pertinent, referentes. Idem Plutarchus in problematis. Quid causæ est, quod in æde *Libitina*, quæ ad sepulturam pertinent vendere consueuerunt, *Libitinam* nihil aliud, nisi *Venerem* esse existimantes? &c. Ponitur ergo *Libitina* aliquando pro ipsa *morte*. Horat. epistolarum. lib. 2.

Miraturq́ nihil, nisi quod Libitina sacrauit.

Iuuenalis sat. 12. —*Nam si Libitinam euaserit ager.*

Aliquando pro *feretro ac funerali pompa*. Horatius. lib. 3. carminum.

Non omnis moriar, multaq́ pars mei
Vitabit Libitinam.

Aliquando pro *conlegio* eorum qui ex æde Libitinæ, funeribusq necessaria, suas itẽ operas, seruorũmq́ue, loca-

bant. vendebantque. Liuius lib. 10. belli Macedonici. *In vrbe tanta fuit pestilentia, vt tunc vix Libitina sufficeret.* Suetonius in Nerone.cap.39. *Pestilentia vnius autumni, qua. xxx funerum milia in rationem Libitina venerunt.* Horatius. 2. sermonem.

Autumnusq́; grauis Libitinæ quæstus acerbæ.

Hi autem dicebantur *Libitinarij.* Vlpianus, L. Quicunque. ff. de institoria actione. *Si Libitiniarius, quem Græci χτερισὴν vocant, seruum pollinctorem habuerit.*

33. BARBARVS Alboaces.) Hic est *Alliboaces Pacensis,* de quo diximus adnotatione octaua.

34. IMPACATA) hostilia, nondum pacata, subaudi loca. Virg. Georg 3.

Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.

35. OLISIPO) In oratione quam pro rostris pronunciauimus, antequam hinc Conimbricam migraret academia, satis ostendimus, vrbis vestræ nomen scribi debere non amplius quam septem his literis. O. L. I. iota. S. simplici. Iota iterum, P. simplici. & O. Heic nihil addendum putaui, nisi vt eius rei curiosi, vetusta marmora, quæ multa in vrbe sunt, ne grauentur inspicere.

36. LÆRTIADEN iactabat condita ab illo) Ab Olysse conditam Olisiponem, auctor est Solinus, & Strabo, quanquam Strabonis testimonium Laurentius Vallensis cauillatus est. Vide inf. 45.

37. MALE concordes.) De hac re ita Strab. li. 3. *Græcos autem barbaras nationes errabundos peragrasse, hāc causam habuit, quia paruas in portiones dissipati fuerant, quum imperia per elationem atque contumaciam inuicem minimè coalescerent, & conspirationem inter se nequaquam haberent.*

38. PRÆTER Menelaon.) De Menelai erroribus. Strab. lib 1. Aristonicum Grammaticum suæ ætatis scripsisse confirmat. Ex quo illum per Gades circunductum

ctum nō ad Aethiopiam modò, verùm & ad Indicam vſque regionem inducit.

39. LVNÆ montis.) *Lunæ* mons eſt, is quem noſtra ætas *Sintrienſem*, ab oppido adpellat, ad quuius promontorij radices, in litore templum olim fuit Solis & Lunæ, ſumma religione cultum. De quo in *Antiquitatibus Luſitaniæ* aliquando, Deo fauente, dicemus.

40. COLLES Barbarios) *Barbarium* promontoriū Straboni & Ptolemæo, id eſt, quod vulgo dicimus *Caput Spicel*, vltra oppidum *Cecimbriam*, Mōtem autem *Barbarium*, *Rabidam* vulgus adpellat. quuius omnes rupes ſunt iaſpideæ, terrenum cocco laudatiſſimo abūdans. Populi verò promontorij huius, ab vrbe *Neocetobriga*, ſic enim rectè *Setubal* vocabitis, quaſi nouam *Cetobrigam*, ex veteri Cetobriga factam, inde per oppidum *Palmellam*, vſque ad ſinum Oliſiponenſem, *Barbarij* nominandi ſunt. Quæ verò de *Cætu Tubalis*, vnde ciuitas *Cœtubal*, dicta ſit, præter alios vetuſtiores, Florianus tradit, qui modo fabuloſas Antiquitates edidit, quum tamen multo ſuperioribus fuerit diligentior, &, quantum adhoc attinet, eruditior, deliramenta putate. Dicimus autem colles hos *Barbarios*, inſigneis *Lenæo & Pallade*, hoc eſt, vino & oleo, propter vberrimam vtriuſque rei copiam toto hoc tractu prouenientem, præcipuè ad oppidum *Almadam*, in extremis tractus *Barbarij* collibus ſitum, è regione Oliſiponis,

41 INTIMA deinde ſinus.) Hic eſt ſinus Oliſiponenſis, in quem exoneratur Tagus, alter à Salacienſi. Quod expreſſit Pomponius. lib. 3. cap. 1. *Sinus*, inquit, *interſunt, & eſt in proximo Salacia, in altero Oliſipo, & Tagi oſtium, amnis aurum gemmáſque generantis.* In qua re, turpiter & ante pedes lucente via, Ioachimus Vadianus hallucinatus eſt, qui Plinium. lib. 4. cap. 22. dixit, Oliſiponem *Salaciam* nomi-

44. NAM lingua ferè cõmunis) Probabilior redditur res, ex eo quod dicitur, linguam ferè eamdem Lusitanis fuisse, vt pote à Luso adceptam, Et reuerà, durant adhuc in nostra lingua, quæ pœne latina est, multa græcitatis vestigia.

45. COLLE super) Videlicet in colle orientali. Nam ibi tantum ciuitas erat, etiam Romanorum temporibus. De templo verò *Palladis*, Strab. lib. 3. *Superiora regionis montana loca Olysseiam ostentant, in qua est Mineruæ templum.* Atq; hic est Strabonis locus, quem sup. 36. diximus. Laurẽtium fuisse cauillatum, cui modo respondere non vacat.

46. SIGNAQVE naufragij) Strabo. *Asclepiades*, inquit, *Myrlianus, qui in Turdetania literarij ludi magister extitit, deq; regionis illius gentibus exponendis librum edidit. Is monumenta quædam de Olyssis errore in Mineruæ templo esse commemorat, parmas suspẽsas, aplustria, rostraq; naualia.*

47. CLARISSIMA) Olisiponis vrbis nobilitas, longiorem tractatum postulat.

48. INTER. Lusiadas.) *A Luso*, vnde *Lusitania* dicta est, *Lusiadas* adpellauimus *Lusitanos*, & à *Lysa Lysiadas*, sicut ab *Aenea Aeneadas* dixit Virgilius. Nec malè subcessit. Nam video id multis adlibuisse, præsertim autem *Georgio Cælio*, Lusitaniæ nostræ ornamento, siue poeticam facultatem, siue Ciceronianæ orationis æmulationem spectes.

49. QVOT habet Libye latissima iugera.) Africa, qua colitur, fertilitati, nulla terrarum comparanda est. Hinc Horatius carminum primo. *Quidquid de Libycis verritur areis.*

50. GRAIAM vrbem.) Nempe Olisiponem.

51. STRAVITQVE mare) id est, planum, & immotum fecit. Virg. Æneid. 5. — *placidi strauerunt æquora venti.*

52. SALTIM) id est, per saltus; saltuatim. Vetustum

stum aduerbium est. Quumque eadem opera potuissemus versum explere, si dixissemus, *adplaudere saltu*, quia tamen, *Saltim*, significantius est, exprimitur enim coruorum gestus ille & saltatio, maluimus illo vti, bona doctorum venia.

RERVM prudentia maior, Aut datur. &c.) Adlusio est ad Virgilianum illud Georg. I.

Haud equidem credo, quia sit diuinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.

54. OSCINIBVS.) Quia de augurio loquebatur, augurali verbo vsus est. *Vocāt* autem augures aueis *oscines*, quæ ore auspicium faciunt, quemadmodum *alites*, quæ volatu. Cicero de Natura Deorum. lib. 2. *Quamquam aueis quasdam & alites & oscines, vt nostri augures adpellant. &c.* Et ad Cecinnam: *Non igitur ex alitis inuolatu, neq; ex cantu sinistro oscinis, vt in nostra disciplina est.* Vbi videtis apertam etymi vtriusque vocabuli rationem. Nempe ab *alis, alites*, à cantu *oris, oscines* dici. Horat. 3. carm. *Oscinem coruum prece suscitabo — Solis ab ortu.* Ad alterum genus, *alituum* videlicet, pertinet, quod sequitur, *Prapetis omnia penna*, Quid autem sint aues *prapetes*, videre potestis apud Gellium. lib. 6. cap 6. Nam de significatione ista communi, pro *veloci*, nihil opus est adnotare.

55. OVATIO corui.) Et hoc ex eadem disciplina est, & propriè *coruorum*. Virgilius. Georg. I. — *& ouantes gutture corui.*

56. ALITVVM oscenarum.) *Alites oscena* sunt, auctore Seruio, quæ canendo aduersa significant. Festus etiam, quæ mali ominis essent, *Oscena* veteribus dicta fuisse ait. Hinc Aeneid. 12. — *Ne me terrete timentem.*

Oscena volucres.

Heic pro immundis adcipimus, & ingluuei deditis, quales sunt corui, & quæ cadauera sequūtur, Sicut Virgil. *Oscenos* dixit *canes*, Georg. I. Quod ad scribendi rationem

tionem attinet. *Osci*, populi fuere Italiæ, de quibus Æneid. 7. *Oscorumq; manus.* Hi notati sunt à veteribus, de spurcarum libidinum frequentiori vsu. Vnde verba impudentia & spurca, auctore Festo, Verrius tradit *Oscena* adpellari. Ergo in prima syllaba. B. scribendum non est, neque diphthõgus in pœnultima. Quin etiam si ab *scena* deriuentur, vt, Varroni placet, omnino etymologias coactiores facit, absq; diphthongo scribi oportet, quoniam in *scena*, quæ Græce σκηνὴ dicitur, nulla est. Memini plura de hac re Baptistam Pium in Lucretium esse commentatum. Vos siue ab *Oscis*, siue ab *scena* magis probetis, pœnultimam simplici, E, scribite. De prima verò syllaba vel per, B, vel sine, B, scribenda, vestro arbitrio statuite.

57. ITERIS) *Iter, iteris*, dicebant antiqui. Et *itiner, itineris.* Lucretius. lib. 5.

Conquussos itere, & labefactos aëre multo,

Idem. lib. 6.

Obuia disquutiat plagis, itinerq; sequatur.—— Et apud Plautum sæpe: Manilius item. lib. 1.

Fecit & ignotis itiner commercia terris.

Recentiores, in tribus casibus numeri singularis, alterum nomẽ receperunt, nempe, iter, ab altero, declinationem reliquam. Licet poetis vtrumq; rarò imitari.

58. PÆANA) Laudem, hymnum. Etsi Pean propriè in laudem Apollinis sit, qui *Paan* dictus est, à medendo.

59. EFFOSSVM feretrum.) Modò extractum, ex terra vbi prius latebat. Plaut. Pseudolo.

Ex hoc sepulcro vetere, viginti minas

Effodiam ego hodie. Cicero off. 2. *Argentum effoderetur penitus abditum.*

60. CLAM socios) Clam etiam adcusatino eleganter præponimus. Plaut, Casina. *Bona multa faciã, clam meam hanc vxorem.* Cicer. in Salust. *timens ne facinora eius clam vos essent.*

61. BAS-

61. BASSARIDI Ogygiæ similis.) Bacchus inter cætera cognomina, etiam dicitur *Bassareus.* Horat. 1. carm. ——*non ego te candide Bassareu, Inuitum quatiam.* Inde *Bassarides* dicuntur Bacche, ipsius dei sacerdotes. *Ogygia* verò, id est, Bacchi cultrices. Vnde & Bacchus ipse *Ogygius.i.* Thebanus. Nam patria Thebanus fuit Bacchus. Sacer Prudentius contra Symmachum:

Thebanus iuuenis superatis fit deus Indis.

Sensus autem est, ita prouolutum illum qui sancti Martyris ossa furatus erat, vt prouolui & rotari solent Bacchæ multo vino onustæ & insanæ.

62. HYDRARGYRON) *Argentum viuum* duplex est, alterum naturale, quod inuenitur in argentifodinis, de quo Plinius lib. 33. cap. 6. alterum factitiũ, quod vocatur *hydrargyron*, vtique à colore argenti, & aqueo liquore. Vtrumque rerum omnium venenum esse, præterquam quod id testatur Plinius, omnes experiuntur officinæ. Corpora & membra tractantium assiduè, reddit tremula. Ob id igitur dicitur *tremulum venenum.*

63. INTEMPERIIS.) Plaut. Amphitruone. *Dij vostram fidem, quæ intemperiæ nostram agunt familiam.*

64. ATTRECTARE) Inreligiosè tangere. Æneid. 2.

Me bello è tanto digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas.

Sacrilega.) Quid sit *sacrilegium*, & *sacrilegus*, ostendit Cicero. 2. de legibus; *Sacrilego pœna est, neq; ei soli qui sacrum abstulerit, sed etiam ei qui sacro commendatum.*

65. PIGRANTVR) *Pigri* fiunt, Metaphora est ab ijs qui pigritia dissoluuntur. Verbum antiquum est, quo tamen etiam Cicero vtitur; ad Attic. li. 14. *scribere ne pigrere* Lucret. li. 1.

Quod si pigraris, paulumúe recesseris à re,

66. MVLTOSQVE Per annos Durauere) Ex historia

hiſtoria translationis ſumptum eſt.

67. TANTVM vitæ) Longiſſimam eſſe coruorum vitã, quamquã fabulosè, Heſiodus cecinit quuius teſtimonium poteſtis videre in Chiliadibus Eraſmi.

68. CORVORVM montem) *Sacrum promontorium*, ex quó tempore eò reliquiæ Diui Vincentij deportatæ ſunt, propter coruorum horum ibi frequentiam, à Saracenis ea loca tenentibus, *coruorum mons*, ſiue *Caput coruorum* apellari cœptum eſt, *eaq; adpellatio durauit, donec à* Luſitanis ab inuerſo corpore martyris, *Sancti Vincentij* vocabulum adcepit. *El cabo de ſant Vincente.*

69. VRBEM Dulichiam) id eſt, Olyſſeiam. *Dulichium* enim inſula Olyſſi paruit. Vnde ipſe *Dulichius*; & rates *Dulichia*, id eſt, Olyſſeiæ. Virgil. ecloga. 6. *Dulichias vexaſſe rates.*

70. DIVÆ penetralia Iuſtæ.) Parœcia eſt antiquiſſima Olyſipone, ſacra *Diuæ Iuſtæ* virgini, quæ vnà cum ſorore *Rufina*, Hiſpali, ſub præſide Diogeniano Chriſti Martyr effecta eſt, ſicut alio loco prolixius enarrauimus.

71. NON ita ſed famam) Nota ſunt quæ Virgilius, quęq; Ouidius Metam. 12. de *fama* ſcripſerũt, ad quorum imitationem hæc quoq; dicta ſunt.

72. SVA per figmẽta.) Ouidius ita. -- *menſuraq; ficti.*

Creſcit, & auditis aliquid nouus adijcit auctor.

73. *SACRA æra*) *id eſt, tintinabula templorum.*

74. SCYTHICÆ Dianæ.) Ea erat *Taurica. Tauri* enim populi Scythiæ, Dianæ hoſpites immolabant vt præter cæteros Lactantius ſcribit. lib. 1. capite. 21. Eſt & Euripidis Iphigenia in Tauris.

75. TEVTATES.) Sunt qui *Mercurium Gallorũ* lingua *Teutatem*, *Martem* verò *Heſum*, vocatos ſcribant. Gallos autem Dijs homines ſacrificare ſolitos, multi auctores prodidere. Certè Plinius ad ſua vſque tempora barbarũ eum morem duraſſe confirmat. La-

F zarus

zarus Bayfius Gallus, Iuris consultus, vir admodum doctus, hanc gentis suæ labem omnino se deleturum sperauit, in libello *de re vestiaria*, si Lusitanis nostris exprobraret, quod ex intestinis hominum captiuorum diuinationes captare essent soliti, vt refert Strabo. Hoc Lazaro immanius videtur, quàm Gallos homines dānatos, vt ipse dicit, dijs immolasse. Ego Lusitanorum factum non defendo, qum simili errore & nota laborauerint etiam Romani. Poteram tamen respondere, longè minus barbarum esse, hominem captiuum, in quuius vitam necemque victori potestas esset, ad exta inspicienda obcidere, quàm ceruicibus equorum capita hostium suspensa domum portare, eaque pro spectaculo postibus adfigere, statuam idoli concauam, pecoribus atque hominibus replere & supposito igni holocaustum facere, ac interim iuxta saltare & plaudere. Nō addo, solere illos etiam ex hominibus vaticinia capere, quod id Lusitaniam etiam crimen est. Multo tamen nostri humanius, qui eos sagis velabant, Galli verò sagittis configebant, & intra sacras ædes suffigebant patibulo, Strabone referente. Reliqui certè Lusitanorum mores, innocentes & bene mares, ac Spartanis non dissimiles, traduntur ab eodem illo Strabone. Saltem pueros non prostituebant, nec nuptui dabant, quem morem solennem Gallis fuisse tradunt auctores, etiam sacri. Hæc Bayfio lacessiti respondimus, non in gentis odium, sed quia non merito Lusitanos voluit perstringere. Cæterùm de *Diana Scythica, Teutate, & Heso*, ita Lucan. lib. primo.

Et quibus immitis placatur sanguine diro,
Teutates, horrensq; feris altaribus Hesus,
Et Taranis, Scythicæ non mitior ora Dianæ.

76. IDÆA *Berecynthia.*) Id est, *Cybele*, culta in monte *Ida*. Vulgo huic nomini adspirationem addūt, in pœnultima syllaba. Atqui Seruius id non esse faciendum docet, Æneid. 9. Græci quoque βερεκύντια per.

per T. non per I scribunt. *Cybeles* autem sacerdotes, Galli dicebantur, ab eius nominis flumine in Phrygia. Hi vaticinantes nimio furore ac dementia correpti, & fanatici, sibi virilitatem adimebant. Ouidius. Fastorum 4.

Cædunt iactatis vilia membra comis.

Capita rotabant, terræ adlidentes, magnâque se insania ac vlulatu conuulnerantes. Expressit hoc Lucanus Pharsaliæ primo. —— *crinemq; rotantes*

Sanguineum, populis vlularunt tristia Galli.

Talia sacra erant Cybeles, nec multo saniora quàm *Bellonæ*, quorum sacerdotes cultris brachia dissecabant. De quibus Lactantius lib. 1. cap. 21. Tametsi ex Apuleij sententia, eadem est *Bellona, Cybele, & Isis*. In sacris. 3. Reg. cap. 18. sacerdotes *Baal* legimus se incidisse cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.

77. E CÆLO demissa) Christum seruatorem nostrum *lucem* esse, testatur Euangelista Ioannes. *Erat*, inquit. *lux vera*, &c. E cælo autem demissa hæc lux est, sicut legimus, *Exiui à patre, & veni in mundum*. Magna igitur Christo gratia, cuius benignitate longè à barbarie illorum seculorum distant, quicumque magis tenebras quam lucem non dilexerunt,

78. NON sperare) Non timere, vt, *At sperate deos*.

79. ILLE propinquus) *Prope est Dominus*, inquit Dauid, *omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum, at in veritate*.

80. EXORIENTE Capella.) Indicatur dies 17. cal. Octobris. Idibus enim Septembris *Capella* exoritur, vt ait Ptolemæus in libello de inerrantium stellarum significationibus, & xiij cal. Octobris Sol in Libram transitum facit, eodem Ptolemæo, & Columella lib. xi. cap. 2. auctoribus. Decimo autem septimo Cal. Octobris Ecclesia Olisiponensis solennem Translationis beati Martyris diem, à veteribus decretum celebrat, iam inde ab anno domini M.C.lxxiij.

81. SOLYMVM in morem) *Solymi* populi fuere iuxta Lyciam, Homeri carminibus nobilitati, à quibus Iudæorum cepisse initia, fuere qui existimarint, Corn. Tacito attestante. Vnde & *Hierosolyma* quasi ab illis condita, nomen retinuerit. Quare Solymos pro Iudæis nonnunquam posse dici, auctor est Iuuenalis, satyra 6. *Interpres legum Solymarum. Solymum igitur in morem*, intelligimus, ad ritum quem Deus Moysi Iudæorum duci præcepit, vt indueret Aarō Pontificem. Iuxta quē ritum, religionis nostræ sacerdotes Pontificalia indumenta susceperunt, paucis immutatis & correctis.

82. FERCVLA.) Quantum ad hunc locum pertinet, *fercula*, sunt statuæ, aut imagines, aut similia, quę in solenni pompa feruntur. In Christianorum pōpis & supplicationibus publicis, eleuatæ cruces in hastilibus, id est, dominica tropæa, & diuorum imagunculæ, reliquiæue, *fercula* dicenda sunt.

83. SALII.) Cantores intelligi debent, aut præcentores potius, qui laudes Diui præcinebant, respondentibus cęteris, vt in supplicationib⁹ fieri videmus. Est autem Virgilij imitatio. Æneid. 8. *Tū salij ad cantus*, &c.

84. ET NOS Dexter adi) Vt Virgil. —— *& tua dexter adi pede sacra secundo.*

85. IOVIS armiger) id est, aquila, quam fulmina Ioui ministrasse fabulatur antiquitas.

86. PALLADI cornix. *Nyctimenēue.*) De cornice, & Nyctimene, id est, noctua, nota fabula est Met. 2.

87. IVNONIVS ales.) id est, *pauo*, Iunoni sacer. *Ales* propriè femininè dicitur, poetæ tamen etiā masculinum faciunt, in numero singulari. Non memini in præsentia, an etiam in plurali. Arbitror tamen adcidisse huic nomini, idē quod nomini, *Dies*. Recipit enim, *Dies*, in singulari, vtrumq; genus, at in plurali, tantum masculinè effertur. Sic *ales*, in vnitatis numero, vtriusque sexus notam habet, in plurali, tantum feminini. Nimis vero scrupulosè distinxerunt quidam, *ales* tunc

dici

dici masculinè, quùm bonum augurium significaretur, tunc femininè, quùm malum. Non diffiteor tamẽ, in superstitiosis sacrorum gentilium ritibus, masculinũ potius genus adamatum, vt felicius. Hinc nata est non minus faceta, quam ridenda religio, eum qui suæ vxori vellet dominari, ac muliebres euadere insidias, cauere oportere, Lunam genere femino nuncupare, sed Deum Lunum, *marem* adpellare. At qui *Lunam* sexu feminino diceret, cũ semper vxori inseruiturum. Hæc inuenietis apud Spartianum, in Antonino Caracallo. Et fors hinc Virgil. quum de Venere loqueretur, dixit, *Ducente deo.* Seruent igitur augures ritus suos. Vos in tanta copia exemplorum, vbi hæc differentia non seruatur, nimis religiosos esse non conuenit. Ouid. Fastor. I.

Nocte, dea, noctis cristatus caditur ales.

Metam. 2. — *Sed ales.*

Sensit adulterium Phœbeius. —

88. CAVDÆ circum gemmante theatro.) Pauo quùm caudam explicat, effigiem theatri repræsentat & oculis illis picturatæ caudæ graduum theatralium similitudinem efficit, distinctis interordinijs.

Gemmante, id est, ad gemmarum similitudinem splendente. Vnde Martialis *gemmeos pauones* dixit.

Argutus anser, gemmeiq; pauones.

89. NIVEVS — anser.) Historia est apud Florum. lib. I. cap. 13. Virgil. Æneid. 8.

Atq; hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat.

90. CORONIS) De Coronide puella à Phœbo dilecta, quuius adulterium coruus depreendisse dicitur & Apollini indicasse, Quid metam. lib. 2. Fuisse autem prius candidum coruum, & ab Apolline mutatũ in nigrum, veracissimus testis idem est Ouidius.

91. GESTAT modò Olisipo facti &c.) Vrbs Olisipo in memoriam Translationis *Diui Vincentij*, in-

ſignia ſibi fecit nauem, & duos coruos, quorum vnus in puppi reſidet, alter in prora, eaque hodie geſtat.

92. HÆC ſigna fidem facient.) Nempe in ſigillo. Senatus enim, & curiæ Oliſiponenſis ſcita, his inſignibus cera impreſſit ad fidem faciendam muniuntur.

93. PRÆCEDENT noſtras acies.) In vexillo.

94. FERREA cæla) *Cælum à cælando*, inſtrumentum eſt argentariorum, ſtatuariorum, marmorariorũ, & ſimilium. Luſitani, à ſculpendo, *ſculprum* vocant. Stat. Siluarũ. 4 — *laboriferi viuant quæ marmora cælo Praxitelis.* Auſonius. *Talem fecerunt ferrea cæla deam.*

95. LEVARANT.) id eſt, leuigârant, leue & ſine aſperitate reddiderant. ſicut in ſacris legimus. Genes. 27. *Noſti quod frater meus Eſau homo piloſus ſit, & ego leuis*, vbi hactenus male legitur *lenis*. *Arte* autem *Myronis* dictum eſt, quantum ad perfectionem attinet, non quantum ad materiam. *Myron* enim fingendi æris artificio claruit. De quo Plinius lib. 34. cap. 8.

DE ORTHOGRAPHIA.

96. PAVCVLA. quæ ad ſolam orthographiam pertinebãt, ad calcem harum Adnotationum reieci, de induſtria, ne in vnaquaque adnotanda, mihi opus excreſceret Sed neque heic de ea re diſputare decreui. Tãtum breuiter admonere lectorem volui, ſi fortè ſcriptionis nouitatem admiraretur.

97. *A.* & *Prô* interiectiones, ſine ſpiritu ſcribimus, Probi Grammatici auctoritatem ſequuti. Solo enim adcentu à præpoſitionibus differunt.

98. *Aënus. a. vm.* Quum *æneus* dicamus, & ſolutìone diphthongi, *aëneus*, & *aënus*, qui huic nomini inter A. & E. adſpirationem poſuerunt, non tam mihi videntur voluiſſe vegetiorem ſyllabam reddere, quod tamen ait Gellius, quam diphthongum indicare ſolutam. Nulla tamen ratione adſpiratio interponitur. Et Gellius teſtatur vidiſſe ſe mirandæ vetuſtatis codicem, qui

qui ipsius Virgilij fuisse crederetur. in quo, *Vndam tepidi despumat aëni*, & illud. —— *Et luce coruscus aëna*, absque adspiratione in contextu scriptum erat, licet supra additam haberet, aliena manu.

99. *CÆPIT à Capio*, monet Caper esse per Æ. scribendum. *Cœpit* verò, à verbo *Cœpio*, per OE. Exstant adhuc eius verbi reliquię apud Terentinm, Adelph. act 3. scen. 4. —— *An non sex totus mensibus Prius olfecissem, quam ille quidquam cœperet?* Scio omnes typis excusos codices *Cœperit* habere; Sed habeo ego manu scriptum codicem vetustissimum, vbi *Cœperet*, planè legitur, id exposcente lectione.

100. *CONLATA. Conlega. Conludunt. Inlapsa, Inlæsa. inrorant. Inrupit. Inruere. Obcultare. Obcidunt. Obcumbere. Obcurrunt. Subcedere* & in summa, omneis præpositiones integras scribimus, vbi patitur decor, veterum probatiorum Grammaticorum præceptos nisi quum sequitur cognata litera, qualis est. B ad. P. &. D. ad. T. Tunc enim mutari potest, vt *Oppono*, ex Ob, & pono. *Attraho*, ex A D, & Traho, De quo diffusius alio loco egimus.

101. *Exsanguis. Exsoluit, Exstruxit*, sicut & *Exsul*, quod alibi adnotauimus Sup. lib. 1. nu. 57. post X literam. S. habēt, teste Scauro, & omnibus veteribus. Quur enim secunda compositi pars suam principalem literā amitteret?

102. *HEIC* adverbium, per. *EI*. diphthongon scribendum præcipiunt veteres. Quare semper longum.

103. *LACRYMAS*, sine adspiratione, & per. Ypsilon, debere scribi, græca probat origo, δάκρυον.

104. *Preendit*. Terentius Scaurus peccare ait eos, qui in verbo *Preendo* adspirationem scribunt. Indicium est non debere scribi, quod vbi per synizesin dicimus, *Prendo*, nusquam est adspiratio, vt Sup. 98. *aënus* Recte tamen dici Deprehendere & Depiendere autor est Quint. lib. 9. cap. de composit.

105. COMPOSITA à *Quatio. Perquutio, Inquutio*, &c. per. Q. ſcribimus. Non enim videmus quur per. C. potius. niſi quis tueri velit, *Secutus*, à Sequor, *Locutus*, à Loquor. Doctiores tamen, *Sequutus*, & *Loquutus* ſcribunt.

106. *QVVIVS*, genitiuum à *Quis*. per. Q. ſcribimus, Terentiani Mauri auctoritate. De qua ſcriptione alibi diſputauimus.

107. *SEPVLCRVM*, ſine adſpiratione ſcribendum adſeueramus, quia à Supino *Sepultum* fit, *TVM* ſyllaba in *CRVM* mutata, ſicut *Lauácrum*, à Lauatum; *Simulácrum* à Simulatum. *Inuolúcrum*, ab Inuolutum. Et Val. Probus auctor eſt, tria tantum Latina nomina poſt. C. adſpirationem habere, *Lurcho, Pulcher, Orchus. & orcus, orci* à græco ὄρχος.

108. *STIPVERE,)* *Stipefactus*. Quia horum verborum origo à ſtipite venit, mutato tamen ſyllabæ tẽpore, I, litera in illis ſeruanda eſt, quam multi in. V. mutant, quomodo quum dicimus, *Decimus & decumus. Maximus & Maxumus.*

109. *TINGVEBAT.)* Attius iubet in verbo, *Tinguo*, V, poſt G, ſcribere, ſicut in *Vnguo*, quod probat. *Vnguẽtum* ab eo deriuatnm, non *Vngentum*.

Hæc ſtudioſi adoleſcentes, non per otium in bibliotheca mea, ſed in veſtra vrbe, à me aliud agente tumultuariè conlecta ſunt, ad *Vincentium* noſtrum pertinentia. Quæ ſi placuerint, bene ſanè eſt Sin diſplicuerint, equidem neque culpam deprecor, neque vetabo quin pereant, vt diſcam poſthac ſcriptoris extemporalis titulum minus ambire.

FINIS.

INDEX RERVM OBSERVATIONE DIGNARVM, QVAE IN HIS ADNOTATIONIBVS CONTINENTUR, numerus adnotationem ſignat.



L. AN-

L. ANDR. RE-
SENDII AD DEVM PA-
TREM OB CALAMITA-
TEM SECTARVM,
Ode.

AT ô citata qui rotas cælum orbita,
Terrasq́ nutu conquutis,
Ponti inquietis terminum ponis vadis,
Vagosq́ frænas impetus,
Quiq́ inuolucris tecta prouidentia
Humana secla temperas,
Viden' patenteis in tui Christi plagas
Iurasse contumeliam?
Contráq́ morem sanctitatis pristinæ
Viden' tumultus impios?
Parúmne secta spurca ademit hactenus
Libidinosus arbiter?
Parúmne Porthmei cymba lucri fecerat
Nullo quietis otio?
Parúmne multas furuus Orci ianitor
Vmbras nocenteis adlatrat?
En Rhenus, Ister, Albis, ante crediti
Puris meare fluctibus,
Contaminatis nunc feruntur alueis
A gentibus quas adluunt.
Quorum tametsi disparata tractibus
Fluenta pulsent æquora,
Cocyti inertis, ob scelus, concordia
Labuntur in stagnum pari.

K2

En Gallicana versa retro numinis
Cælestis obseruantia,
Tanti decôris, regibusq; debitæ
Fidelitatis immemor,
Cæco furore bella per ciuilia
Sua manu se conficit.
Recisa nostro ab orbe, quo Britanniæ
Iuuerna quonam decidit?
Latè sacrorum horrenda dictu vastitas
Peruasit & silentium.
Mactati ad aras sacrosancti antistites,
Solum aut coacti vertere.
Septis refractis, virginum ludibrio
Exposta sanctimonia,
Nefas pudendum, quod satis nec eluant,
Dies nec vlla obliteret.
Quin & Pyrennen transilibat algidam
Pestis malæ contagio,
Nisi obstitissent optima reges fide
Nefario molimini,
Illinc Philippus, hinc petitus lacrymis
Pijsq; votis ciuium
Sebastianus, ac datus miraculo,
Reiq; natus publicæ.
Prô quàm supremo res stetit discrimine,
Nosterq; nutauit status.
Quam pœne versum vidimus regni decus,
Stinctumq; Lusitaniæ.
Sed ortus inter spem metumq; rex puer
Puer Deo carissimus,

Deóq; plenus, & Dei cultor pius,
Nobis timorem depulit.
Quem mox ab ipsa auia tenellum infantia
Regina sexu fortior,
Molli reclinans in sinu, cultu bona
Diuinitatis imbuit.
Et cum nepotis patruo magno vices
Partita, dum puero venit
AEtas ferendo ponderi maturior,
Regni capeßit munia.
Ipse interim magna indole adsuescit Deo.
Deum medullis imbibit.
Trabensq; gyrum duplicis septennij,
Senilem habet prudentiam.
Quaequumq; agit, quae fatur, & quae cogitat
Dei gubernat spiritus.
Iamq; arma tractat, arma & armati placent,
Armísq; corpus induit.
Iam bella contra perfidos hosteis crucis
Irasq; dignas concipit.
Longeq; peius quam lupos agna truces,
Saeuos leones hinnuli
Odit, suósq; adcedere adfineis vetat
Nequam genus sectarios.
Hoc rege, sacra non timemus pollui,
Fraude immunuta quapiam.
Bella hoc gerente, proferenda in vltimos
Maurusiorum credimus.
Ergo ad triumphos hunc identidem sacros
Supreme serua conditor.

AD

AD CHRISTVM OPT. maximum Resendij confeſsio.

CHriſte opifex rerum, mundiq; effector, & iſtet
Quum peſſũ reparator, ades, facileisq; dolenti
Prabe aureis animæ, & gremium pietatis eunti
Ad te pande tuæ, quæ me tantum vna iacentem
Erigit, & cælo reuocat, formidine preſſum.
Namq; meæ vitæ repeto quum ex ordine curſum
Et mecum expendo quæ prauè ac nequiter egi,
Vt poſt nequitiam mentem tranſuerſus inhæſi,
Vt pœne impuris traduxi ſordibus æuum,
Audebóne pudens ſupera ad conuexa tueri?
Audebo veniam ſcelerum ſperare meorum?
An magis omne chaos, cæciq; dehiſcere Ditis
Regna putem, & Stygijs factam tortoribus in me
Iure poteſtatem? & circum exululare Megæram
Armatam ignitis imo ex Phlegetonte colúbris?
Adgnoſco, & quoniam mereor me iudice plecti,
Heinc magis horreſco, nec quid faciamúe loquarúe
Noui aliud, meritò niſi me perijſſe fateri.
Inter at hos animi fluctus, has inter amaras
Anguſtata cruces mens, ne deſpondeat omnem
Spem veniæ, tua Chriſte facit clementia, quuius
Nunquam adfecta fides, de qua perſuaſio nunquam
Vana fuit, nunquam inluſit, miſeros úe fefellit
Credulitate reos, modò ne dementer ab ipſa
Deſcierint pietate, vagi poſt ſigna relicta.
Certè equidem ſeorſum nunquam deſertor abiui,

Nec tuus inuitas lituus mihi perculit aureis.
Quin ego ſæpè pijs inflaui claſsica turmis,
Sæpè etiam primi perfunctus munere pili,
Prætendi vexilla crucis, duxiq; cohortes,
Sæpéq; diſiectos reuocaui ad ſigna maniplos.
Deniq; quod dixi, quo me iuratus adegi,
Seruo Sacramentum, cuſtos pietatis auitæ.
Non pugno cum lege tua, nec fixa refigo,
Nil temere muto de religione ſacrorum,
Non Diuis adimo iuſtum ſceleratus honorem.
Quod pecco, de carne venit. quod vincor, agórq;
Carnis ad imperiũ, quod quà trahit impetus amens
More ſequor pecudis, duce nec ratione reluctor,
Maxima culpa mea eſt, vel ob hoc, diuina profeſſus
Quod ſim, quod populi qui præmonſtrator habebar,
Et præferre facem ſolitus, ſic deuius erro,
Sic aciem mentis nebulæ caligine texi.
Eſt vtcunq; tamen, quantum me cunq; lutaui,
Non ſum diuina palmes de vite reciſus,
Marcuerim quamuis, per te reuireſcere poſſum.
Non ſum à membrorum ſancta compage reuulſus,
Subputrui, at non ſic, quin te medicante putredo
Erumpat ſubitò & ſiccato pure recurrat
Sanguis & in venas transfuſus ſpiritus ægrum
Me vegetet, me rurſus alat, me deniq; ſanet.
Quod te oro bone Chriſte, tui per ſanguinis vndam
Quem totum vili pretium pro merce dediſti.
Redde animum pauido, quem conſcelerata ſibiq;
Mens diffiſa, metu & luctu externauit acerbo.
Lætitiam mihi redde bonam, nec deſpice rector

Con-

Contractum mœrore animum, & delicta fatentem.
Tunc ego pacifera redimitus tempora lauro,
Vestibus in puris, & festo rite, sacerdos
Pinguia thuricremis adolebo altaria flammis.
Lustraborq́ue tibi per sacra piantia latus.

AD CHRISTVM OPT. max. crucifixum.

QVur sic despectus rigido de stipite pendes?
Et faciem liuor, pallidaq́ue ora notat?
Quur tenerum sæuo maculauit verbere corpus?
Transfixitq́ue tuas plebs violenta manus?
Quur latus, & cerno perfossas cuspide plantas?
Quur cerebrum transijt spina cruenta tuum?
Quur, quur hæc pateris sanctorum maxime? quæ nec
Famosusúe latro, prædoúe ferre solet?
Quod scelus admissum? quidúe in te criminis vnquā?
Quod sic, hem, fixus, sic cruciatus obis?
Dic hominum ante omneis longè pulcherrime natos,
Forma vbi? vultus vbi? Dic vbi sancte decor?
Hei mihi, tu pro me, pro me, hæc non digna tulisti?
Qui mereor Stygias viuus adire domos.
Me me hæc impurum mitißime Christe decebant,
Hac ego debueram morte perire sacer.
Verùm tu immeritus, quo nunquam purior alter,
In cruce sic moreris, ne crucifigar ego.

Ἄδηλου.

Frende Sathan, freme Munde, Caro fure, Mors fera saui:
CHRISTVS enim victor sceptra paterna tenet.

L. ANDR. RESENDII EPISTOLA AD REVERENDVM IN CHRISTO PATREM D. GASPAREM Casalem, Episcopum Leirenensem.



ASTORVM officium quibus est poniaria cura
Esse putant, circum nullo non tempore septa
Inuigilare gregi, stabulis arcere luporum
Longiùs insidias, bellatoresq; molossos
Armatos millis, hortari vt ouilia noctu
Circumagant fortes, repleantq; latratibus auras.
Rosida temporibus permittere gramina pasci,
Gramina temporibus rore interdicere cana,
Ne mala subrumos mentigo exulceret agnos,
Quid scabiem auertat, vel quum persederit acris
Pusula, númne satis medicarier vnguine corpus,
An sit opus ferro vitium compescere, nosse.
Quæq; alia aut pecorũ quondam præcepta magistris
Tradidit alma Pales, aut qui pastoria nostro
Tempore sacra colunt, gregibus prodesse fatentur.
Remq; procul dubio bene si metimur ad ipsam
Normam & præscriptum legum sanctoris, olympo
Qui veniens patrio, prius id quod sanxit obiuit,
Hoc pastor distant, & mercenarius. ille

Semper

*Semper adest, noscitq́ suas, & nomine quamq́
Ante vocat gradiens, contrâq́ pericula visæ
Stat duratq́ feræ, vitamqúe impendit ouili.
Inq́ vicem illæ illum norunt, placideq́ sequuntur,
Disiunctæ procul ire cauent, parentq́ vocanti,
Et quasi compellare velint, balatibus adsunt.
Hic alienarum custos, alienus & ipse,
Mercedi intentus, nec ad herbida pascua ducit.
Nec vallem vmbriferam, nec colleis optat apricos,
Nec tenero filicem pecori substernit ab imbre,
Nec morbi prohibet contagia serpere diri.
An pituita fluat concretior, ilia tussis
An conuulsa trahat, suspiratúsne fatiget
Interclusam animam creber, sparsásne fugarit
Auia per deserta lupus, securus adæque.
Nec laterum oppositu raptorē exterret hiantem
Vellere lanitium, pecudem deglubere, curat.
Dumq́ modo inuito spument mulctralia succo,
Ore capistrato ieiunia perferat agnus.
Compositis quibus inter se, propiore salutem
Omnem ouium adspectu pastoris inesse liquebit..
Queis quia potificum forma est vmbrata bonorum,
Tuq́ referre tua id credis venerande Casalis,
Continuata dies cruciat te absentia multos.
Et mærore cubans incursabile, tueri (les.
Lucē hominesq́ fugis. Quid enim sine crimine pal-
Crimine quum careas, animo trepidare pusillo,
Criminis instar habet. trepidēt quos vncta sagina.
Desidia somnoq́ grauat. quos aulica siren
Inlecebra inretit, nunquámque explebilis vrget*

Ambitio, vileis perferre parata repulsas.
Te neq; luxus iners, nec degener ambitus, alta
Deiecit specula, communis totius orbis
Causa Tridentinas alpeis, Athesinq; niualem,
Magnū ad concilium patrum, sanctumq; senatum,
Aduersum motos de relligione tumultus,
Impia sectarum quibus Hydra repullulat, olim
Cum capitum toties numerosa prole recisa,
Fecit adire, procul patria laribusq; relictis.
Nec tamen inde domum rediisti inglorius, exstant
Ingenij monumenta tui, testantia curam
Pro pietate, leget quæ post mirata vetustas.
Et modo Olyssæam quum conuenistis ad vrbem
Pontifices ætate graues, virtute colendi,
Vestra vt lima malis deradat moribus omnem
Scabritiem, & quantum sterilis subcreuit auena,
Agricolæ gnaui, Christi runcetis ab agro,
Ac ne pastorum discedam ab imagine, si qua
Noxia fors lateat sub ouilla bellua pelle,
Spartani vt catuli prædant id nare sagaci,
Marcida si restet pecus, aut si sentibus aspris
Rupta cutis, si fœda lues caluarit amictu,
Quid iuuet, aut quonam medicanda tenore putetis.
Hæc, vt consilio vnanimi sapienter agatis,
Vnde salutari populus ratione regatur,
Et tua primorem teneat sententia palmam,
Deseruisse gregem non es, nec abesse, putandus,
Tantopere vt quod non admisti maceret agrum
Te, frangátq; modo vireis, oculosq; genásq;
Lurore inficiat, soliúq; ingressibus obdat

Tristi-

Tristitia superante foreis. Age sume remissum
Sume animum, refer adspectu te sideris almi.
Finieris vbi rem, de qua coÿstis, abito.
Leirenamquée fuga celeri pete, sancta reuise
Templa Dei matris subrecta condita rupe.
Ciuibus obtutusq; tuos cupientibus offer.
Munia tunc repetes animo firmatior, isto
Intermissa gemis quæ tempore languidus. atq;
Nostro etiam studio si delectâre, ruinas
Euersæ poteris vel Colliponis adire,
Vel quo Hispanorum centum oppetiêre cohortes
In Lusitanos bella importuna gerentum.
Aut si quando voles suetum laxare rigorem,
Et proferre diem paulò genialius, ibis
Quo mare vicinum, comploso gurgite, monteis
Voluit aquæ, & spumante salo per litus inerrat,
Rursus it in sese, sparsasquée recolligit vndas,
Litoreaq;, retro rediens, lauat æquor arena.
Ingruit heinc aliÿs, aliosq; reciprocat æstus,
Atq; oculis præbet spectacula mira, Deiq;
Ad sapientis opus mentis contollit acumen.
Inde paludicolis, sæta insidiatus & hamo,
Piscibus, ire diem nimis orbe querêre citato.
Nam neq; verriculo tanta est, neq; rete, voluptas,
Quanta tremēte vorax quū pendet arundine mugil,
Adq; manum trahitur saliente rubecula cauda.
Margine dein stagni, mollíq; reclinis in herba,
Ad mensam à prunis prædam remeare iubebis,
Non sine Baccheio generosi palmitis haustu,
Quuius vt illa ferax regio est, ita nobilis ipsa

De vini bonitate sui. cui cuncta precari
Prospera sum solitus, quum à te venit amphora, nostrum
Quæ ciet ingenium, stimulatq́ in carmina, longè
Promptius ac melius, quam turba abstemia collis,
Surda mihi, Aonij, toto cum fonte Medusæ,

FINIS.



VRBIS LOVANIENSIS ET ACADEMIAE ENCOMIVM.

L. AND. RESENDIVS Conrado Goclenio, latinæ linguæ in collegio trilingui Buslidiano Louanij doctori S. D.



AD populum phaleras: vt dictionis compagem & neruos intus & in cute nouisti. Libellum igitur, si malus est, nõ laudo: mitto tamen ad te, scholæ nostræ trium linguarum princeps & ornamentum, quem hisce diebus octo lectionũ intercapedine quasi composui. Nam quùm nil agere non possem, quo animo sum, mœnia Louanij semel atque iterum circumeunti, capior namque solitudine, hæc carmina qualiacumque sunt exciderunt, Encomium vrbis vestræ. Quæris quid velim? vt, si vacat, ad hæc minutula descendas, & euellas, destruas, disperdas, & dissipes, ædifices, & plantes, vt dictum est illi. Si carmina probabis, hoc ipso efficient vt à te citra fastidium legãtur. Sin minus quoniam encomij nostri

tu quoque bona pars es, iure meo fecero, si hoc à te exigam, vt vel cum fastidio legas. Si nec id donare vis, at certè iuuenibus tuis qui dicitis calleant & aure, syllabam si qua fefellit, quin pungere liceat, negare non debes, & lituris castigatum remittere libellū, vt posthac acerba & inculta carmina discant domi contineri, & donec pluteum cædant non excedere, Vale. Louanij. X V I I. Calend. Octob. M. D. X X I X.



Attica dum staret virtus & Cecropis artes
Incoleret Pallas, titulo memorabilis ipso
Hellas, & vna magis studiorum nomine terris
Se iactans reliquis, ea quos non ipsa tulisset
Barbarie infameis vocitare solebat, & oris
Scabritiem obijciens cunctis, sibi sola placebat.
Sed postquam doctis Latium successit Athenis,
Et, quam prima notis semigraijsq; loquelis
Artis inops docuit Rutulos carmenta, Latinam
Pauperiem ciuis Rudiarum, & censor honesti,
Carmine quisq; suo ditarunt, barbara quondam
Et vulgi pars Roma, parem sermonis adepta
Palmam, in consortes vitij iam deniq; culta
Reiecit crimen. Tandem deuictus vt orbis
Imperium Romæ subijt, prouincia linguam
Quæq; suam oblita, ad Latij decus oris hiabat.
Hinc mea Lucanum, Senecas, vatemq; Salonis,
Edidit Hesperia, AEneadum quiq; arma cothurno
Personat altiloquo, magnum dum ponè Maronem
AEmulus insequitur, linguæ Fabiumq; Latinæ
Grande decus, multum quem nobis inuidet olim
Roma virum. & reliquos quorum quoq; notior ipsa
Quàm dici fama indigeat. Clarumq; Terenti
Nomine nomen habet Libyæ. Varrone Atacino,
Ausonioq; suo celebrem nec Gallia tantum
Se putat, Oenotrios quin & græca vrbe magistra,
(Vrbe fide clara, durus cui præmia longæ
Cæsar amicitiæ longè meliora referre
Debuerat,) missos ad se docuisse colonos
Commemorat. Rheno deerat quem opponere posset
Expro-

Exprobratrici Italiæ. Germania nanque
Romanorum armis non tam mollita, superbum
Excussit ceruice iugum sæpè. exq; professo
Hostis, Romanum vsq; adeò nomenq; genusq;
Oderat, vt quod erat cunctis pro munere, soli
Germani recipi in ciueis, aut vrbe Quirini
Municipes nunquam sese paterentur haberi,
Nedum sermonem acciperent. Posuêre ferocem
Paulatim hunc animum, donec voluentibus annis
Mutandarum author rerum, ceu cuncta volutat,
Transtulit imperium tempus, prouinciaq; olim
Nunc fasces, aquilasq; pareis Germania nacta
Edicit Roma, paribus victricia fatis
Arma mouens, Nequid verò felicibus absit
Auspicijs, Latium decus & quæ sola manebat
Gloria Romulidis, victricia signa sequuntur.
Sicelidas siquidem medios qui intersecat Albis
Theutonas, agnoscit nymphas. & diues Erasmo
Rhenus, qui gemino Oceani petit æquora cornu
Ceu totum cupiat Batauæ telluris alumnum
Amplecti, & nulli partem concedat auarus.
Hinc academiæ celebres, hinc magna librorum
Cura typhographiæ. quanquam Basilea triumphum
Hunc sibi præripuit, ne cui sua gloria desit.
Ausonis at quamuis, quamuis sit Cecropis vnà
Pallas vbiq;, tamen semper quia mite Minerua
Prætulit ingenium, domitamq; illapsus Apollo
Mentem implet, populus musam suscepit vtramq;
Mitior vrbe sua, quæ nunc parili vtraq; floret
Numine. Finitimis tellus obuersa Britannis

Quon-

Quondam incultus ager, sylua, sterilèsq; paludes.
Nunc colitur gemosa solo, didicêre coloni
Arcere obijcibus pontum, compressaq; in alueum
Ad mare præscripto deducere flumina cursu,
Belgæ habitant Gallorum olim gens extima, nuper
Addita Germanis, regniq; in sorte locata
Heic vbi se regio editior diffundit in arcton
Scaldim inter celeremq; Mosam, posuêre minores
Vrbem Louanij, Phœbo, musisq; sacratam
Mollibus in cliuis quæ cælo exposta sereno
Præcipiti fossa murorumq; inclyta flexu
Cingitur oblongo, muris coniungitur alto
Arx munita loco. Vallem subsidit ad imam
Deinde situs, mediamq; secat sinuosus in anguem
Amnis, opaca inter frondosaq; tesqua domorum
Rara quidem tecta apparent, veneranda sed ipso
Aspectu, & maiestate incutientia sacram
Religionem animis. Phœbum doctasq; sorores
Agnoscas, videasq; vrbem simul atq; Lyæi
Secessus. Iam quicquid habet decliue Lyæo
Colle viret, lasciuit humus, Ceueremq; quotannis
Suppeditat parte hac, illa, placitura secundis
Mensis, Oleniæ nutricis Copia cornu
Pomiferis pleno ramis dependet onusta,
Herbida parte alia fontes per prata fluenteis
Diua Pales pecori corriuat, vbiq; beata
Ora animum curis fessum demulcet, vbique
Ridet, vbique placet felix nulliqúe secundum
Musarum emporium, quaqua Germania ab Istro
Clauditur ad Rhenum, vel quà se Belgica tendit

Per

Per latus Oceani, quoad iungi Sequana Celtis
Diuisor prohibet. Nec iam concedet Achais
Gymnasijs, Latijsue, nisi quia tempore in illo
Non erat. at quamuis Phœbo, musisq; recenti
Nuper asit. tamen assequitur virtute: quod annis
Iunior ætati tribuit, dum grata priori
Posteritas potius quam præsenti æqua triumpho
Mirari veteres gaudet. Veterascere & olim
Continget nostris, inerit quoq; gratia factis
Iam priscis. Quamquam quis tam moriente palato
Et penitus fatuo fuerit, venerande sacerdos
Phœbi, & musarum interpres fidissime cui non
Gocleni ambrosiam sapiant tua verba? Latino
Siue tono, Samióue cupis dicenda sonare,
Illo te Charites dulcem comitantur alumnum.
Seu Ciceronis opus, seu carmina dia Maronis
Enarras, nemo Ciceronem, nemo Maronem
Enarrare putat, Ciceronem ipsumq; Maronem
Audit. vtrumq; etenim sic exprimis ipse, poëta
Clarus, & orator. possis vt vterque videri.
Sic cum Pasithea, dominans affectibus ore
Suada medulla tuo insedit. blandiq; lepôres.
Hinc si te pubes stimulant maiora, cupisq;.
Graia Thespiados montem, cliuiq; superbi
Anfractus superare graueis, adeundus Apollo
Rescius ille tibi est, quo consultore quid vnquam
Non bene verterunt diui? quid quæso fefellit?
Qua tibi non spondes græca penitissima lingua?
Nunc age te Solymæ capiunt oracula vatum
Gentis? & à prima nascentis origine mundi

Vis

Vis veri responsa Dei? legemq́; ratione
Contempto, ex ipso demissam quaris olympo?
Campensis tibi ductor adest, qui guttura formet,
Terrentesq́; sonos Latiam striblgine musam
Insuetaq́; domet lingua dumeta. Sed vnum
Qui variare vices, modoq́; hoc proferre modo illo
Ore sciat, grataq́; leuet nouitate laborem
Phœbo addicta cohors velles? triplici ore sonabit
Nicoleos meus ille tibi Clenardus, & vnus
Nunc Pallatini ducet per numinis aras,
Et formidatas, vt nil vereare, columnas.
Nunc Aganippaas, ac per Pipleidas vndas.
Et, si fortè velis, iuga per Sionia ad altam
Vraniam raperis? te prastantissima patrum
Suscipiet schola multorum, qui tramite certo
Inconcussa Dei referent mysteria, quorum
Nomina si quis auet me carmine pandere, montes
Expediam citius, fluuios, fontesq́;, lacusq́;,
Quotq́; habuit populos olim Germania. caussas
Vis agere? & ciueis concordi pace tenere?
Iuraq́; Pontificum? veneranda caterua senatus
Casarei, sacriq́;, sinus tibi pandet apertos.
Ne longum faciam, poteris concludere totam
Encyclopadeiam. talem Louania prabet
Sese musa recens, talem Florentius ille
Quum iam iam triplici instaret circundatus orbe
Fastigatus apex, coluit Hadrianus, honore
Quo, nimium dilecta deis academia, dum sol
Aureus ornabit cœlum terrasq́; iacentes,
Semper erit celebris. Circum nunc aspice pubes

Vrbs quota quot sophiæ populis alimenta ministrat.
Hanc Menapi Rheno vicini, hanc Cimbrica pubes
Quæ leti horrorem bello casura leuabat
Carmine, & hanc flauum soliti torquere Sycambri
Crinem adeunt. olim latè dominatus Eburo.
Et fama Treuir maioris, quosq; mouebant
Classica, & in Martem rauco crepitantia cantu
Cornua, fleuigenæ bifido concluso Bataui
Gens Rheno. atq; vagis complexi Tethyos vndis
Arctoæ Morini veniunt. frugalis & olim
Neruius & luxus contemptor, Centrones vnà
Quiq; olim Dryidæ fuerant crudelibus aris
Cædeq; Mercurium humana taboq; Gradiuum
Fœdantes, & quicquid agunt dij scire professi
Carminibus fibrisq;, illo sed tempore cæca
Plebs, posita feritate modò sortita benignum
Atq; animum comem, cœli venerabile numen
Mente colit placida. longis hastilibus Axon.
Gentium & heic quicquid prospectans ora triones
Condit, ad hanc iuuenes facto velut agmine mittit.
Eia age cede deis, quo te Louania pubes
Fata vocant propera, contende per æquora remis,
Excute barbariem omnino, te sentiat orbis
Italis æqualem, Tuq; ô sancta ingeniorum
Cultrix, atq; parens, currentibus adijce calcar
Italia, impatiensq; paris quo prima futuris
Sis quoq; temporibus vigila, retineq; fugaces
Musas, Germani allicite, allectasq; fouete.
Nam velut infantes capiunt munuscula, & eius
Insidunt gremio, teneros qui mollius artus

Blan-

Blanditijsq; fouet maioribus, osculáq; vltro
Pendentes collo admittunt, sic pulcher Apollo,
Sic Bromius, nymphæq; sacræ Libethridos vndæ
Custodes, gaudent amplexibus, atq; frequenti
Augentur studio, facilesq; & sponte sequuntur
Quà deducantur. consultum deniq; rebus
Humanis fuerit, tunc quum certabitur hocce
In stadio cui nam concedant numina palmam.

DE CONRADO GOCLENIO nobili Rhetore.

PRæterito sudor non vnquam cognitus æuo
    Vastabat populos Belgica terra tuos.
Risurus medicos, sine nomine in intima grassans
    Viscera, si sudor non mage pestis erat.
Pars Conradus erat turbæ morientis, & illi
    Torrebant pectus dira venena sacrum,
Quicquid inest vitæ ruptis arteria venis
    Dispulit, & sicco pectore membra fluunt.
Liquitur, ast animam dum iam moriturus agebat,
    Concidit ante Iouem turba Cytheriadum.
Actum est omnipotens de musis consulis ipse
    Ni nostris studijs, gloria nostra perit.
Iuppiter hæc, viuat tua gloria turba canora.
    I, medice Asclepi, vade petita Salus.
At mea Conrado ferte hæc mandata: superstes
    Donaris musis, non tibi. viue, doce.

ODA AD CONRADVM GOCLENIVM.

TEN' non plus oculis amem
Gocleni, atq; animo luceq; amicius
Donec sidereum iubar
Exortu referet Phosphorus igneo?
Ante & sidereum iubar
Soluetur, nec erit Phosphorus igneus
Quam te non oculis amem
Plus, ipsoq; animo, luceq; amicius.
Qui bóne esse tui immemor?
Ante oblitus erit Sol sua munia
Flectetur q; retro statum
Naturæ imperium, iuraq; ferrea.
Ante agros sua germina
Ante vndæ Oceanum deficient sua,
Ante amnes reflui petent
Fontes, aëreis montibus editi
Ante ad nimbisonum Notum
Migrabunt freta se stare loco inscia
Ceruisq; vnda fugacibus,
Silua conuenient squamigero gregi.
De me sic meritum sciet
Quæ me cumq; manet sors, regio, aut plaga
Hinc orbis Tanaiticus,
Me, siue accipiet iam reducem Tagus.
Siue ibo æstiferas Libas,
Seu me sors habeat decolor India.

Harebis memori, notis
Indelebilibus pectore conditus.
Mitto riuulus ingeni
Quod nostri, fluit ex Oceano tuo
Testaturus id ampliter.
Dum cernam rosei flammam Hyperionis
Mitto munificentiam,
Et come ingenium. Quid? quod amas pari
Nodo, me, meaq́, omnia
Nec vatis reicis carmina rustici?
Quid? quod concilias mibi
Immortale decus: nam quod honestius
Nomen, quodúe aliud, tua
Quàm quod scripta dabunt, malim ego clarius?
Te, fortuna videlicet,
Inuita, cineres iam superabimus:
Et per Cyaneas petras
Contendam ad spolium velleris aurei.
Salue pectus amabile
GOCLENI, *ô anima dimidium mea.*
Quo te carmine prosequar?
Metam qui meritis carminis es super?

AD IACOBVM MENOETIVM VASCONCELLVM. VRGENTEM ANTIQVITATVM Lvsitaniæ editionem.

QVam vim cuiq; sua inseruit natura, vel ætas,
Assuefacta diu, ingenitam prope reddidit vsu,
Vertere difficile est, bone Vasconcelle, retrorsum,
Impellat nisi vis, ratioúe retexere tramam,
Et prope detextæ diffringere licia telæ.
Id mihi quandoquidem senio contingit adulto,
Vt studia, in quæ me genitale adfecerat astrum
Quæq; ad caniciem fueram sectatus, omittam,
Seponam calamum, patiar puluescere libros
Libera per quorum nidos operetur arachne
Vasconcelle doles, ac per conuicia crebra
Iam detrectantem, iam munia sacra Mineruæ
Exosum, reuocare cupis, monumentaq; rerum
Lusitanarum, medio iam desita cursu,
Nec summam ad metam perducere, turpe putabis
Debita iam regi, patriæ, studijsq;, tibiq;:
Quem mihi vel Iuris prudentia summa, vel ipsum
Eloquij geminum decus, & sine labe furentis
Inuidiæ, mores, paribus vel candor vtrimq;
Nectit inabruptæ per mutua vincla catenæ.
Mutatæ mentis causam nescire labores.

Ad eundem.

INter magnificas dapes, & amplas,
Amplo & magnifico Hospiti paratas
Si quem das quoq; muneri pusillo
Vasciuncellę, locum, infimum licebit
De nostro id cape qualecumq; rure,
Mittunt rustica rustici poëtę.

AD IVLIANVM ALBIVM, & Petrum Sancium: Saturnalibus.

VIuamus hodie, nam cras reddemur amaris
Aulę tumultibus graues.
Quanquam, ô, si tantum mihi roboris esset, vt vti
Tandem pigeret regibus.
Pulchrius esset olus Musis prandere benignis
Vtcumq; dij vitam darent
Exigere, Aonias deducere monte sorores,
AEuum canendo extendere:
Ne totus morerer, sed pars non pessima nostri
Olim superstes viueret
Dicetis, nihil hęc ad Saturnalia. adeste
Posuit seueris iam modum.

L. ANDR. RESENDIVS LVSITANVS,

Conrado Gocle-
nio viro clarissi-
mo. S.

IMPVDENTIOR fortasse dici mereor Conrade Gocleni, quàm aut æquum sit, aut te pati dignũ arbitreris. Ita enim non vereor à tuis te deturbare serijs audacia mea· vt non semel carminum meorũ Aristarchum te fieri postulauerim. Scilicet quia Homerum tibi cognoscendum deferebam. Sed tuæ comitatis indulgentia, eò vsque processi· vt in licentiam proruperim & abusum. Quanquam quur non id facerem? Nam si scitè admonet Flaccus, quærendus erat Metius, quærendus Quintilius, vir bonus & prudens, aut demum ipse Aristarchus. At vbi nobis heic Metius, Quintilius, vir bonus & prudens? aut demum ipse Aristarchus? Tollat quis Goclenium, frustra certò scio, quæsiuerit. Vel igitur quæ tuæ partes sunt præsta· vel qui eas obire possit adsigna. Adsigna autem? imo nutri. Interea tamen quod merito exigeris, ne nega. En tibi Erasmi encomion, si encomion mala car-

carmina dici possunt, castigandum mitto.
dline atrum signū vbi voles, & vt nequid
mplius addam· tuo potius quàm meo arbi-
ratu vtaris volo. Si viro illi mittendū cen-
es, tu mittę· vt promiseras. Nam & dono
uo apud illum maior erit auctoritas, & Re-
endium te patrono tutiorem exire, fieriq́;
ratiorem non ambigo. Vale, Louanij Ei-
libus Februarijs. M. D. XXXI.



RESENDIVS LVSITANVS, DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO S.

Carmina quin mittant celebres, cultiq; poëtæ
Non dubito, Arctoæ gloria magna plagæ.
Queis conlata mea hæc, tantum fortasse iacerent·
Antæo quantum trispithamæus homo.
Atq; viderentur veluti paganus in aula
Hispidus· aut canum gracculus ante cycnum.
Tarda chelys veluti in cursu, leuis vngula campum
Dum quatit ad numerum se glomerantis equi.
Marsya seu coram Phœbo, sed iudice Musa.
Ceu præ luscinia· gutture coruus ouans.
Quum tamen indocti, doctiq; poëmata pangant·
Pars quoq; nos vulgi fecimus ista tibi.
Quæ si fortè tuas ïerint aliquando per aures,
Et tantum famæ sunt habitura meæ·
Quas mitto, dicent ex me tibi mille salutes.
Ipse ego dicturus, si licuisset, eram.

Qui

DES. ERASMI ROTERO-
dami Encomium.

QVi mare, qui terras, & descripsêre profundum
Cœli orbẽ radio, adgreßi fabricamq́; globumq́;
igentẽ hunc mundi breuibus comprendere chartis,
ecurrat quamuis per mille volumina sermo.
on oculis ideo spaciosæ singula molis
ubiecêre, patet vel quâ Titanis ab ortu
ethyn ad obciduam, vel quâ breuioribus Arctos
rbibus adstringens luces, brumámque rigentem,
espicit aduersi torrentia sidera Cancri.
aiora inueniet, si cui tentabitur vlla
ortio quam spatijs mundi spondebat iniquis
ctata effigies speculiq́; simillima forma.
c auguste, decus secli præsentis Erasme
q; ingens meritis, grata, dum terra manebit.
steritatis honor, qui pro te cunque poëta.
t licet eximius, Smyrnæaq́; plectra lacessat,
udando venam penitusq́; exhauserit acris
genij vireis: faciet satis ille superq́;,
, vel prima, tuæ laudis delineet artę
ndamenta, quibus tamen & maiora supersint,
q; operæ maioris adhuc. si viribus æqua
ateria est sumenda: nihil nihil Hercule de te
uod canat orbis habet. verum quis carminis omnes
on mage prætereat leges, Venusinaq́; dicta?
luantur potius vatis præcepta seueri,
iam taceat, Phœbi laurum quicunq; momordit,
nspersus leuiter quamuis ad sacra poësis

Imbre Agamppao veniat.nec pondere tanto
Turpè sit ingenium vinci.tentasseq; magna
Laus aliqua est.rebusq; pijs,dignuq; lucerna.
Dignior est venia cui sit potuisse negatum
Quum vellet·quàm qui poterat,sed noluit,aque
Segnior, egregium nihil orditurus,in illo
Donec perstabit ceruini carcere cordis.
Ergo impar quamuis, parmaq; inglorius alba,
Tiroq; nunc nuper musarum in castra receptus
Parua dabo.fueram certè maiora daturus·
Aeque si pronum prastare ac velle fuisset.
Nunc minus vt posse hac mihi contigit·illa negare
Propositum sic nolle fuit.Deus increpat vltro,
Sentio,meq; mouet stimulis, & corripit œstro,
Iamdudum.Salue,salue ter maxime nostri
Nunc aui Cicero.rumpantur & ilia Codro.
Salue etiam atq; etiam,tripodas penetralia Phœbi
Qui spontis facis esse tua, Dirceną; poëta
Dirceasq; sacri nymphas Heliconis, & vnda
Numina Pegasea,Flacco numerosior ipso
Sollicitas, & par, Clariam quum dextera blanda
Increpat arte lyram,musaoq; inlita Peitho
Peitho flexanima inspirat tibi carmina melle.
Disperiam malè si palpor,valeantq; maligni.
Sentio quod scribo,versaui sapè,diuq;,
Quid facerem,certum est,quantum vis ipse recuses,
Hunc aperire animum.tam longa silentia ferre
Non queo.vis me agitat,vis enthea.murmura tandē
Pressa diu rumpenda cadat, seu fabula talo ;
Stet recto,satis est,modo sic notescat Erasmo

c animus quem, yel tenuis fortuna, vel ipsa
na rudis, nimiumq́; pudor retinebat inanis.
me ego ab Hyrcana lactatus tigre viderer,
lius aut terræ fraterculus esse gigantis,
rbariciq́; gregis pars & pecus vna, quod odi,
on meliore luto fictus, genitore Prometheo,
mmanúmue aliquid, sanctaq́; ab origine ductum
æ me ferre tuum venerer nisi nomen Erasme.
rasq́; inter aueis mirer? facundia tanta est,
ctio tam locuples, tanto fluis amne, tuiq́;
m semper similis, commisces vtile dulci,
m Latie semper, nil non feliciter audes.
tentas sequitur res non inuita, tibiq́;
l post vota venit, prono conlabitur amne
cta tibi fortuna, nihil moliris ineptè.
mq́; fidem superat, nisi quod res, clarior ipsa
ce, palam est, quantum nostræ monumenta salutis
ueris, & mendis salebrosa volumina, quæ vel
terpres, quicunq́; fuit, falli aptus & ipse,
l scribæ non fida manus, scioliúe procacis,
querat ad nostra hæc verbis infecta solœcis
mpora quæ facilè haud possum discernere, clara
ntne magis, quod te talem genuêre, priorum
quandum cuiuis, minus an felicia multo
ando, quod ornatus illis famaq́; perennis
ulerat, nomenq́; tuum, studiumq́;, laborq́;
uida facta sibi, necdum satiata veterno,
ceq́; Sarmatica deturpent crimine fœdo.
ec modo non cedant, studia ad meliora vocata,
d traducere ament etiam, pugnentq́; frequenter,

Si qua sinant inimica bonis fata artibus, hocce
Tollere de medio lumen. quia scilicet ipse
Cœtus Apollineus Getico certamine victus
Exsilij nondum satis, extorres úe camenæ,
Pro meritis luerant sancta sub gente tot annos·
Ni quoq; qui reuocet patriæ; pessundet inepta
Barbaries·nunquam non balbutire Getarum
Egregium esse putans lingua. prò tristia fata,
Prò diuumq; hominumq; fidem. quid fœdius vsquã?
Quò fera barbaries ruis? vt benefacta malignè
Denigrare velis? adeóne agitaris Erinny?
Quod genus hoc hominum? quæúe est dementia? nulli
Qui grege de vestro non sit, vestræq; farina,
Scire datum est vnquam? soli penetrastis in arces
AEtherias·vnde, obtutu propiore latenteis
Rimati caussas, cœlo deducere summo
In terras diuûm sophiam quiretis? ibiq;
Altitronumq; Iouem, formasq; ardentis olympi,
Barbarie obscena, picta quam murmure lingua
Plus delectari didicistis? an inuida corda
Liuor edax agitat magis? vt quia vita palustris
Vestra, nihil, nisi inepta, probat· fatuamq; saliuam
Quã semel imbiberat· quos Iuppiter æquus amauit,
Desidiæ vestræ dent pœnas? scilicet hoc est
Crimen Erasme tuum sic præmia fata reponunt
Demerito meliora tibi. nec parcit honori
Inuida terra suo. nam quo candore feraris
Nemo, nisi omnino fungus, fautórue malorum.
Iuratusúe cliens, non æquè intelligit. an non,
Censor amare tibi loquimur, conatus Erasmi

Hoc

Hoc agit altiloqui vt pietas in numina, recto
Ordine, plus vigeat? vanaq; superstitione
Reiecta vere pia sit plebecula? nonne.
Hoc agit vt iactant qui se diuina professos,
Huc studium omne suum vertant quo linea recti
Prouocat? vt fictum nihil intus bractea celet?
Nonne & in hoc totus, quæso, est vt doctior orbis
Reddatur solito? ne longe exempla petantur
Aspice Germanos, ad bella horrentia Martis
Gentem animis pronam nunc, quà modo latior ipse
Limite Sequanico Germanicus orbis ad Histrum,
Teutonicumq; patet nomen suscepit Erasmo
Pallada vtramq; duce eloquioq; superba nitenti
Hellados, & Latij, sic nunc Germania pollet,
Vnius exemplo ad nitem traducta Mineruam
Nobili vt heinc Latio, doctis heinc certet Athenis.
Ne qua tamen famæ pars intentata maneret
Ad Solymas ventum est musas. Germania felix
Si tua cognoris bona. quid tu maius Erasmo
Aut habuisse putes, aut speres? ille beatam
Te facit in cunctis regnis laudaris in illo
Quod dederis mundo, quod Græcia docta, quod ipsa
Romula terra tibi inuideat stupeantq; minores.
Nec tam Cæsareo placeas tibi nomine, turba
Id commune fuit. dat & hoc fortuna profanis
Iussue facit vi quisq; sibi: vel scribitur hæres.
Gloria non tanti est. verùm quos Roma nequiuit
Adlicere ad se visendam, magniq; senatus
Pompa triumphalis, neq; currus lauriger olim
Fama viri vnius celebris, perduxit ab oris

Extre-

Extremis. tantum potuit facundia Liui.
Hac non parte minor Germania diues Erasmo,
Europa in tota, magno memoratur alumno·
Quem propter multi, quanto est ea gloria maior?
Metiri terras, rabido se credere ponto·
Nil dubitent. si parua licet componere magnis,
Nos etiam omnino non infelicibus orti
Auspicijs, fas esto mihi non vana referre,
In patrijs laribus, tua quum legeremus auebat
Mens. pungebat amor famæ immortalis, Erasmum
Noscere iam coram· & sua dantem oracula Phœbũ
Auribus his haurire nouum· & dicentis hiare
Ad maiestatem. nec spes mihi plurima deerat
Compellandi etiam. nam præter cætera quæ te
Orbi immortalem fecêre· adcessit & illud,
Quod qui te norunt memorant: nil comius esse
Te, nec amabilius. decies deciesq; beati,
Hoc fortuna quibus decus haud inuidit auara.
Adloquioq; tuo, dulciq; fruuntur amore.
Ergo ita quum adficerer, patrijs diuellor ab oris,
Flaua nihil metuens animosi marmora Nerei·
Conlustrans iam mente vaga, mea præmia Erasmũ.
Louaniq; arces. hanc te tum fama ferebat
Vrbem habitare· & erat iam tũ mihi cara. minãtis
Quot salis ærumnas tulerim, quæ incommoda sæui
Oceani, quoties, prò formidabile visu,
Irati steterit supra caput vnda tridentis·
Ille dies picea obductus ferrugine, & ora
Vos mihi Callaciæ testes· quas naufragus hospes
Mœstus, egensq;, diu tenui. nec dira profundi

ceptum iter auertit rabies·me litore Ibero
xposuit quamuis Louania prendimus arua·
tq; tenemus adhuc.nullo sed numine vecti·
amq; aberas, & te felix Basileia fouebat.
orsne,deúsne mihi inuidit?non obtigit illa
ibertas vitæ·malè quam prodegimus olim.
erum & inexperti, & pueri.fors nostra tulisset,
ersequerer quocunq; fugis.sed molijt æstum
unc·tuus hic,meritoq; mei Goclenius,vna
ars animi,debet multum cui Belgica tellus.
a veniam fasso Gocleni dulcis amice,
uamuis te miror,stupeoq;,coloq;,nec vsquam
idi æquale,meum tantummodo præter Areion.
on tamen iste tuus,Permeßide purior,amnis
uit desiderium magni restinguere Erasmi.
uc te rumor erat venturum,en tertia demum
ruma abijt·nullusq; venis.valeas modo,vt opto,
t Lusitano dabitur·si qualiacunq; hæc
armina,contigerint,vel mox peritura,tuarum
usarum augustum limen·sic namq; perire
e iuuat, & cupio,tentassemq; ante·sed ipsa
nproba quorūdam improbitas,vacuumq; cerébrū
tra pelliculam mihi me cohibere suasit,
q; silere.pudet pudet à meminisse catellus
uæ latrauit Iber,iterum iam,dente sine vllo.
piget insulsi articulos memorare libelli.
uæ quia tunc acta fuerant,nugæq; recentes.
posui calamum,veritus ne crimen Iberum
Lusitanum caderet caput. inclyte Erasme,
on tibi Lusiadæ infensi.te noster adorat

Diam

Sceptrifer ille quidem, & nulli probitate secundus.
Hic, sacer, & roseo cinctus diademate crineis.
Et quem, nunc prima flauum lanugine malas,
Vna pudicitiæ custos reuerentia sacri
Ordinis: & vitæ integritas, venerandaq; morum
Canities: studijsq; simul patientia, honestant:
Quin etiam fit idem, qua Lusitania, Tyde
A Diomedeia latè, Grauijsq; vetustis,
Ad promontorium Cuneum, quo nomine nostri
Graium Σφηνὰ vocant, protenditur: amnis vbi illam
Non ignotus Anas, toties qui Acherusia regna
Mersus adit penitus, totiesq; renascitur: agris
A Turditanis seiungit. amaris Erasme
Nempe illic, Grauiumq; volas, sine fine, per ora
Perq; manus, multo dignatus honore, virorum:
Quos possim rectè, primoribus addere musæ,
Si conferre velit, melioris: Pallada siue
Cecropiam spectes, Heliconiadasq; sorores:
Siue academiam celebrem, flexusúe Lycæi:
Siue decus fandi Latiæ, dignumq; Subura
Eloquium: seu te Solomonis porticus alti,
Parrhisiaúe iuuent chartæ, meliore lucerna,
Sordibus à Geticis longè, præseq; ferentes
Nil Allobrogicum. qualis Latio orbe Michaël
Siluius, inq; Remi notissimus vrbe, phrasinq;
Doctus vtramq; simul, sophiamq;, altamq; poësin
Vno concludens in pectore, par & vtroque.
Diuus Ioannes fraterq; Alphonsus, & ipsam
Effigiem certè miro venerantur amore.
Et voluunt studio libros auroq; decorant.

Hispa-

ispaniq; sacer meritis honor orbis Areius
agnis, cui debet quantum nunc Pallados illic
ultior vsus habet: docuit nam primus Iberos
ippocrenæo Graias componere voces
e. etenim quidquid frugis nunc Itala regna,
æcia quondam habuit quicquid: patriaq;, suisq;
portauit: & à Galli stribligine tandem
seruit: fieriq; dedit sermone Quirites.
ditur his Mellus, quum nobilitate & auorum
nguine, tum sophia clarus: Teßiraq; notus
n tibi in Ausonijs oris: quibus extima tellus
n tulit eloquio meliores. tempore ab illo
o cum Romano imperio cecidêre bonæ artes:
post Vandalicos, auerso numine, Pœnus
litium indixit studijs. non addo loquendi
ltores tantum, malè quod genus audit ab isto
riculis albis digno grege. namq; Latinum
isquis amat nomen: non odit nomen Erasmi.
quorsum hæc dices? vt Lusi pauca referrem
regno, patriaq; mea: ne propter Iberos.
; δοκησισόφȣς, perdelirosq; sophistas
scio quos: aliquis generatim criticus, orbis
erat Hispani, atq; vocet discrimine nullo
nen in inuidiam. nisi si censebitur æquum
mine, ob anguipedum crimen, mortale feriri
et omne genus: nisi si Iouis ira furentis,
la Lycaoniæ propter conuiuia mensæ,
ideos, nymphas, & Deucaliona sub vndis
lidit, obductis terris. & vt ista sinamus
a, deus certè iustos non obruit vndis

Diluij: sanctoq; seni, gnatisq; pepercit,
Fulmine quum cœli deflagauere profana
Oppida, sulfureisq; polo ruit amnis ab alto.
Non igitur culpæ gens est obnoxia tota.
Sed nec ob indoctos odium meruere periti,
Pars non parua tui, quos & quasi numen adoras,
Reddis & illustreis. soli inuidere secundis
Hi scioli: quod tam, decies repetita, placebant
Scripta tua, & veterum iamiam moritura, situq;
Neglectuq; diu, tineis blattisq; peresa,
Interitura orbi: nisi tu pereuntibus ipsam,
Quod tibi debebunt, vitam, lucemq; dedisses.
Se verò, nomenq; suum frigescere sensim
Cordibus in nostris indignè, ægreq; tulerunt.
Scilicet his nunquam tenebris decepta iuuentus
Euoluenda fuit, quasi non Cerealia postquam
Semina Triptolemus, postquam sua munera Liber
Contulerant orbi, grata quantumlibet ante
Chaoniæ glandes, ipsaq; Acheloides vndæ
Viluerint: bubus potius, suibusq; relictæ.
Vel, quasi adhuc nebulis mundus versetur in ijsdem,
Aetheris & non sit facies, neque solis habenda.
Adde etiam mores te perstrinxisse supinos,
Et fixisse dolos, veracis cuspide linguæ,
Hinc illæ lacrymæ, dolor hinc, caussæq; malorum.
His adcensa super, turba hæc malesana tumultu
Percita barbarico, nequicquam è pectore virus
Efflat in immeritum. nam si, sibi conscia, crimen
Quod secretè animum culpa præsente flagellat
Propulsare, graui vel de te sumere pœnas
Vim-

ndicta posset velis certaret, equisq́,
ferres impune. tamen quia non datur istud,
terim hic, vt Veneris quondam sandalia Momus.
uidia fœtus quæq, exiguissima carpit.
patrocinio pro sacræ interprete legis,
enim ait, sumpto irarum dat lora quadrigis
ctior & placet inuentum. pro interprete legis
ne audax? hodie quem nunquam ostendere possis
us, an ater homo fuerit sacer, an ne profanus
lex, Iudæúsue, an noster quin etiam, vir
ne nurus? tantum, ó bone, abest vt numine sacro
flatum euincas. verum dum adquirere famam,
probrosam, ardent veluti qui incēderat vrbem,
et vt historiæ vili pars vilior alga,
n pudet his chartas Siculis disperdere gerris.
amen hoc studium prope iam requièrat inane.
tibi nunc demum, prudens nolo edere nomen,
gus homo, in quuius tam vasto corpore, nulla est
a salis, prodit ceu rancida sus ab olenti
nc aggressa lacu, pede iam, iam candida turpi
tea commaculat rostro, violariaq́, inter
conuoluit non quod cœnosa proboscis
lce exhalantis nebulæ capiatur odore
quod amet stupido turpare nitentia sensu.
age, dic aliquid, dic sus inamœna. Cauete
quium cultum iuuenes & rhétoras omneis.
tor enim, raro bonus est vir, rhetor Erasmus
ditur ergo bonus vir non est. euge, perite
grunniuit. habet. collegit sus bene pulchrè
ene proposuit pulchrè. en quanto impete currūt

Istorum furiæ quanto cum robore tela
In caput inuisum contorquent. ipsa voluntas
Sæuit, iussisset q; libens tibi crimen id autem
Se nequijsse dolet grex hic ficto q; colore
Dissimulat caussas odij interius q; silendo
Exestur, veluti mulier, cui, thure negato,
Eileithyia genu digitis compressa, recingi
Dedignatur. hiat, crepat, emoriturque, magis q;
Quo magis intendit nixum, æstuat. immortales
Dij facerent minus vt verè loquereris, & ipsa,
Rara auis in terris, per mira encomia virtus
Cœlo æquanda foret non à censore notanda
Crimina. nam latè farrago, lues q; malorum
Peruadit: vitijs animaduersore remoto.
At te non moueant nugis pater optime vani
Rancidulis quidam. vulpes phalerata, popello
Quæ quondam os facili, specie sublêrat amictus.
Notuit. hic malè habet dolor hos. ignosce dolori.
Chirurgi quid enim dextræ non cogit amator,
Sectio cui dura est? quæ non conuicia iactat
Ingratus medico puer ad cauteria, dum quod
Dissimulare tumor vetuit videt vlcus aduri?
A quanto satius vel conniuere fuisset,
Vel certè, mundo conceptum ostendere falsum
Rumorem quàm nunc rabiemque, animique furorē
Velle tegi ficta sub relligione. quasi essent
Sic homines fungi, qui non, quò tenderet horum
Commentum videant. igitur mordacia dicta
Siue tibi inuidiam conflent, seu liuor acerbus;
Sāctè senex, licet haud egeas monitore, ferendū est.

cis vetus hoc odium cœpta in meliora, nec ipse
Noctibus aduigilans totis Hieronymus, acri
raeditus ingenio, te fortunatior vnquam
ut bene re gesta fuit impunitior. alsit,
udauit, tersit, deciesq́; poliuit ad vnguem.
t queritur toties lacerum se mordicus. atq;
um morsus abigit rabidos, dentemq́; caninum.
Iordicus interdum lacerat. calamumq́; fluentem
tringit in aduersos. Libycis vt saltibus histrix,
ut annosus aper. duri dum sæpè molossi
ustrant: fulmineo dente hic ferit obuius, atq;
Marte viam in siluas fecit quã tutus abiret.
la canum, sese exquutiens, iaculatur in ora
ela, leueis spinas. vitamq; tuetur amicam.
c sacer ille pater, calamo, ratioñeq́; fultus.
ectora proscindit veracibus inuida dictis.
quamuis magno patefecit acumine sacra
nsa pius sophiæ, indiciísq́; nitentibus omnem,
puro sermone dedit. periêre labores
tamen, & potuit liuor sepelire dierum
ultorum vigilem curam. Si tempore in illo,
um minor inuidia, & minor ignorantia cunctis,
nplicitas esset maior, figmenta minora,
lia fiebant. quid nunc quum regnat vbiq;
ctio, fraus, liuor, pretio ignorantia habetur.
rbaries regnat? quanquam, quur tempore regnat
o barbaries? imo defenditur ægrè.
teritur a dehinc. viues. absiste vereri.
lua quidem res est, te deturbare nequibunt
tudiosorum manibusq́;, sinuq́;, nefasti

Prominulus quorum sacratum est numen omasus.
Secula consurgunt meliora, reuixit Apollo,
Victaq́ barbaries cadit. en resipiscere, quamuis
Sero, datum est. fiet tuto vt spaciere sine hoste
Iam campo, & digno meriti ponentur honores,
Zoilus interea rodat sua murmura secum,
Bile fluat, rumpatur inops rationis, & atram
Sorbeat inuidiam: tricas, Apinasq́, licebit,
Hæc tua scripta vocet: modo, si titillet honoris
Cæca libido animos, edat meliora. legemus.

AD DAMIANVM GOium musicum L. Andr. Resendius.

ELige vtro mauis horum te nomine dici,
An Phœbi, aut Orphei, dulcis vterq́ modis.
Aut (si non spernis genus) à quo musica primum
Inuenta est, nobis sis Damiane Tubal.

Ad Eundem.

HAEc Damiane mihi visa est nox longior ipse,
Quàm Iouis illa malo conscia adulterio.
Aduentus quum læta tui mihi epistola primum
Perlata est, multo me mihi amabilior.
Iam sol Oceani liquidas intrauerat vndas,
Furuaq́, nox pigrum iam caput extulerat.
Cynthia abi, dixi, tenebræ properate molestæ
Incipe Pallantis gnata referre diem.
Inclamasse tamen rutilam Pallantida frustra
Nil mihi, nil Phœben profuit, aut tenebras.

Omnia

Omnia surda mihi, tum nocte erire negatum,
Quum tribus atra silet ianua clausa seris.
Liminaq; ante cubat, pandens tria Cerberus ora,
Fallere quem magnum est, Herculeusq; labor.
Consulit ante Ioue infernum, petit Aeacon, vmbrā
Si quam exire iubet, quaeq; sit illa rogat.
Haec miseri nunc vita tui Damiane poëtae,
Lusus hoc pacto viuus adhuc, moritur.
Vt scelus hoc, dulcem qui spernere libertatem
Instituit primus, sub stygis amne luat.

Ad Eundem.

TV Cydonia pinsita ebosita
Misisti Damiane, cui supellex
Multo est diuitior, beatiorq;.
Nos è frigidula penu Thaleiae
Carmen mittimus, vt solent poëtae.
At Cydonia, saccarumúe, melúe,
Nec quae plura alia incitant palatum,
Sunt, sed carmina, carmina ergò mitto.
Quae commercia si iuuant, licebit
Per me hercle vt repetas Goes amice
Saepè, saepeq; & vsq; & vsq; χαῖρε.
Vale.

Ad Eundem.

EStis porrò Dei, vosq; hominum pia
Tangit cura, Goem qui incolumem mihi
Extremo à Tanais fonte, pericula
Inter mille reducitis.

Inter Sauromatas barbarie truces,
Saeuumq; Heniochum, quà boreas mare
Non mitis glaciat, permeat & Scytha
Concretam vndam Aquilonibus.
Inter tot populos, qui neq; numina
Diuorum metuunt, cæde nec abstinent
Atroces animos bilis vbi impulit,
Et ferri furor impotens.
O ter Fausta dies, nobilioreq;
Thressa digna nota, qua Damiane ades
Vrsis à gelidis. ô mihi calculo
Describenda smaragdino.

Ad Eundem.

DE VITA AVLICA; POE-tas ibi iacere.

EXemplo Damiane malo, qui primus in aulam
Duxit Apollineos vates, fecisse videtur.
Attamen exemplo multo peiore poëta
Iudicio fecêre meo, qui regibus illa
Otia Musarum spe prodegêre lucelli,
Siue illi adducti; siue inrupêre coacti
Pauperie. Quorum vitæ tamen error agendæ,
Hoc tolerabilior, quo forsan iniquior ipsa
Sauijt in quemq; aduerso Rhamnusia vultu.
Ecquid enim miseris suadere domestica pestis
Paupertas non possit? ei nec Apollo negaret
Consultus veniam, veteris nec vallibus Ascræ,
Nec bonus Aonidum sacro interdiceret amni.

t ego, cui, quamquam non diues, & in tenui re
um modò, & ante fui, vsq; adeò malè non fuit vn-
saltē vitrei cyathi, purumq; salillum. (quam
andida mappa, tripes deesset mihi mēsula & horti
opia læta mei, quonam Damiane piabo
ure, quod exosa viuam patienter in aula?
uum tamen his illis quæ non fortuna negauit,
iauiter, & curis vacuus, bene viuere poßim.
ossum equidem Damiane. tamen me sæua meorum
llicitudo premit. quibus vt paulò & decus & res,
rs magis augescat, conieci memet in aulam.
i faciam id, clament omnes me protinus hostem,
desertorem consanguinitatis. at illi
si qui sese desertos esse querantur,
mihi lar friget, loculis & squalida maret
onnunquam exhaustis raro nidore culina,
on magis aduertant; ea siue incommoda præstent;
uam si alerer ventis, matutinaue pruina,
oreue deciduo. noui, experiorq; subinde.
tamen hæc animum induxi perferre, patiq;,
escio quàm prudens, certè pius, & pius vltra
uam teneor. nam nec superest sanctißima mater,
ec genitor, raptus quum vixdum bimulus essem:
se autem cælebs, & Musis aptior orbus,
on malè vixissem peregre quando otia doctis
octa viris nunquam dat Lusitania nostra.
miser, & libros sepeli, contemne Thaleiam,
ula frequentanda est, veniat te nullus in illam
anè prius, nullus redeat te serius inde.
ac regem videas, nec tu nisi visus abito,

Interea expectans, dum non admitteris intro,
Illic contracta malas ostedine rumpe
Marcidus, aut vngues cultello rade. nec illis
Qui prope te sedeant, risu si forsitan atro
Quem ridere volent, contrarius esto, sed auge
Nonnihil, ijs ipsis post id fabella futurus.
Hoc tibi sit studium, vita hac adolesce, seneq́;
Dixerit heic aliquis, bene habet, patet ergo poëtis,
Et doctis patet aula viris. patet Hercule. sed quid
Prodest? maiestas, non vsus quaeritur illis.
Et si maiestas, non vsus, scire velim quae,
Emolumenta miser possit sperare poëta,
Praeter nescio quem forsan splendoris honorem,
Esse puta notum, & proceres numerarier inter,
Vt summum. sed si census tibi desit auitus,
Fortiter esurias, esto tamen aulicus, atq;
Spe blandire, tibi, serui spe, spem tere longam.
Lusit at egregios lepidè spes ista poëtas.
Postquam nummiuori legum iuriśq; tyranni
In regnum & reges regnum obtinuère, poësis
Pessum ijt, eloquijq; decus, sophiaeq;, forenses
Vulturij pressère iugo. res digna perenni
Contigit historia nuper. non ambigis ipse
Regibus vt faueat cunctis magis omnibus vnus
Diuus Ioannes. si praemia ponere doctis
Obscoenae hae sinerent harpyiae, haereréq; vates
Parte in nonnulla humanè paterentur, haberent
Vt vel postremas, primae queis iure darentur.
Ille suo ingenio in sophiam propensus honestam,
Quicquid Aristoteles argutus, quicquid amoenus

Dixerat ante Plato, mirè cognoſcere auebat,
Vt melius quonam pacto foret ipſa gerenda
Publica res, ſciret, conſultis vtpote libris,
Fallere quod nequeant, quod non adfectibus vllis
Subcumbant, quod nil ſperent, metuantúe, nec aquū
Calliditate mala faciant videatur iniquum.
Ergò adſumptus erat, qualem decet eſſe magiſtrum
Diſcipuli, quuius diues timet India nutum,
Atq; dies aderat cœptis ingentibus ante
Dictus, & hora, ſua, metuens quum prouida parti,
Factio qua leges, vili qua nundinat ære
Iura ſacra, inrumpunt, ecquæ portenta rogabant
Illa forent? ecquis terræ pelagiq; potentem
Diſcipulum faceret? quæ carnificina ſophorum
Tanta erat, vt reges etiam cruciare tremendos
Auderet, ſine fruge? quaſi tum deniq; reges
Vllum operæ facerent pretium, ſi nomen Achææ
Dent ſophiæ, aut chartis ſe triſtibus vſq; fatigent,
Aut quaſi Nicomachi proles úe, nemusúe Lycai
Quicquam conferrent, Academi aut villula, præter
Argumentoſas nebulas, comitemq; tumorem.
Eſſe ſatis regi, iuris legumq; peritis
Fidere, regnorumq; illis committere curam.
Quod ſi tantus amor ſtudiorum, tanta libido,
Iura legat potius, ſapiens quid Bartolus aiat,
Quidúe ſagax Baldus, vehemensq; Accurſius horum
Quod reſponſa trium Phœbei ſortibus antri
Certa magis ſoleat tabularum credere vulgus.
Deniq; vicerunt, quamuis non quatenus ipſi
Optabant. vicêre tamen, ſecumq; triumphant

Eua-

Eualuisse ducis firmatam auertere mentem.
Hac vbi barbaries, vbi monstra, vbi talia morum
Sunt portenta. quibus tantum licet, & licet vltra.
Viuere mé'ne iuuet? viuat heic Chalius, vni
Cui vatum placet aula. decus, nomenq́ poëta
Quod cupit; amotis habeat riualibus vnus.
Nos aulæ nostrum hunc certè præponimus Ossan,
Ossan dena mea distantem millia ab vrbe,
Mentitum aspectu faciem Sulmonis aquosi.
Etsi seruitio me exire liceret honestè,
Huc ego quando aliud iam nō datur, huc ego saltem
Confugerem, & suaueis peterē mihi mōte latebras,
Nunc cerasorum inter lucos, vmbrosaq́ tempe,
Nunc riguis inter latus conuallib. hortos
Citriferos errans, in carmina sæpè Bimatrem
Sæpeq́ Latoidem in carmina compellarem.
At modò, vix toto versum componimus anno.
Et nisi me redimo, video Damiane futurum
Omnino vt pereat, quamquam non aurea, Luci
Vena tui, certè nec plumbea, me nisi fortè
Plus amo quum credo. & sanè si deniq́ tandem
Dij facerent; vt me absq́ nota leuitatis iniquis
Eripere his possem fatis, & liber abire,
Non sine me socio tu nunc Antenoris vrbem
Incoleres. tecum Liui memorabile bustum
Visere, tecum etiam Pataui latissima rura
Aut manno celeri, aut cisio peragrare volanti,
Dulcè foret. nunc aduerso me flumine vectum
Vicini Eridani, vatum figmenta notare.
Iucunda, Heliades quà diriguisse ferantur

ripa mæsta, quanam Stheneleius heros
asum infelicis pueri dum fleret, olorem
ersus in argutum, niueas adsumpserit alas.
unc prono Hadriacas Brenta descēdere in vndas,
itoreq; Euganeo peruestigare Timaui
stia num maneant, exstent num montibus illis
luminis ora nouem dis celebrata Maroni,
n magnum vsq; adeò tellus absorpserit amnem,
t ne parua quidem superent vestigia, quantas
oluerit vndarum vasto cum murmure, moles.
anc Damiane puta veram me credere vitam,
atibus hanc dignam mentis melioris, eaq;
osse via famæ decus immortale parari,
on inter fumos ventosæ nobilitatis,
tq; palatinos scurras, vrgêre senectam
orosam ante diem, inuitosq; adcersere canos,
anguiduloq; pati ingenium sordere veterno.
æc tibi de multis, summatim pessima vitæ
atā meæ exposui. quæ me non scribere solum,
erùm etiam memorare piget. quæ cautior ipse
on secus euasti, atque olim Symplegada fertur
uasisse vagam ductor Magnesidos Argus,
uum Phasin peteret. Quare non nescius horum,
esine me infestis posthac agitare querelis,
mea, quod nolles, tibi carmina rara feruntur,
t bonus adsuescas tandem ignoscentior esse.
Eboræ ad vi. Calend. Nouemb. 1535.

Ad

Ad Eundem.

NOn Damiane metus insomnia semper inanes
Mentibus incutiunt, leti nec semper imago
Visa soporatos ludit per atrocia sensus.
Sepè etiam veros somno est comperta profundo
Effigies mendax mihi portendisse timores.
AEstifer admorat Quintileis Iulius eidus,
Et mihi vasta meo cum principe mœnia Vlyssis
Visere contigerat, quum tota increbuit aula
Ipsum ad coniugium fratris; thalamosq; vocari.
Namq; Brigantina iuueni depacta Duarti
Virgo domo, optatis iungebatur hymenæis.
Ipse etiam concepi animo noua carmina, meq;
Adcingebam operi, si quid vel musa, vel ipsi
Suppeterent nerui oblaturus. & ecce sopore
Iam medio, pepulisse latus mihi visa iacentis
Nescio qua vultu subtristis imago nefasto.
Meq; his affari dictis. ruit ardua turba
Gloria Pieriæ, marent indigna Camenæ
Funera, barbaries laxis exultat habenis,
Tu nunc, tu, tanquam te nil ea damna mouerent
Cantabis lætis connubia Fescenninis?
Non patiar. quantum arte vales Phœbee sacerdos
Lugubribus concede sonis. & nobile mundo
Extinctum testare decus, quod secula flebunt
Nulla satis. Dixit, tenuesq; recessit in auras.
Testor amicitiam Damiane, tuamq; meamq;
Iuro fidem subitò experrectus, tecta dolentis
Misceri sensi gemitu & singultibus ægris.

xperrecto etiam plangoribus omnia vbiq;
uctificis sunt visa quati. mihi frigidus horror
rexitq; comas. sudoreq; membra resoluit,
ua portenta forent ignaro. & multa subinde
xternato animo voluenti. Sed neq; post id
el faciles habuisse Deas, vel Apollinis vllos
ontigit afflatus. quidquid conarer, in ipso
estibulo horrebam. vel siquid deniq; vena
orsitan extorta, nec Phœbi sponte veniret,
unereum, inuitum, dirum, prodibat, & atrox.
iterea, magnum rumor iactatur, Erasmum
errenam hanc molem superis posuisse benignis
ircitur exortum Anticanis, sanctamq; malorum
erpetuis laceratam odijs, suprema senectam
er fata, emeruisse rudem vita atq; laborum.
oc erat, hoc inquam, mea quod me insomnia tanto
dmonuêre metu, hoc illud lachrymabile funus.
, quoniam optabam vanum, commenta libebat
redere, barbaricas & confinxisse phalanges
mnibus optabant quod votis. donec id vnum,
unquam aliàs, nisi tunc non gratus, nuncius ex te
stulit effugium misero mihi. funus acerbum
nus Erasme tuum ò vtinam pensare daretur
nere posse meo. vixes dignissime vita.
inc animam pro te potius crudelibus vmbris,
lem, indefletam, ignotam, nullaq; patenteis
ade affecturam terras, Libitina tulisset.
ige barbaries cristas modò, fige tropæa,
isti. iacet illa manus quæ vestra solebat
mina felici calamo dispellere. tandem

Attulit

Attulit inuidiæ mors dira locumq́ diemque
Optatam pridem. videor Damiane videre
Gurgitibus plenis calida inter vina nepotum
Exultare greges, ventrum collegia sæuas
Post calicum strages etiam insultare sepulto.
Fallar, & extinctum potius liuore remoto
Diligere incipiant. vitã, canosque supremis
vexarint odijs, violarint crimine famam
Hæreseos de more suo, dum ponere discant
Sæuitia post busta modum. monumentaque saltem
Posteritas quæ grata pio veneretur honore
Intemerata sinant. nam si vigilata tot annis
Illa suis constant numeris, si pollice demum
Artifici exæquata suum duxêre nitorem.
Nocte satus somnoque deus, quod carpere possit
Quidnam habet? an tauris fors quod malè prouidá
fronti
Cornua magna Parens potius, quàm fixerit armis?
Extremam sin fata magis vetuêre maligna
Imposuisse manum, cuius decreuerat ergo
Artem sollertis graphicam explorare Frobeni,
Nunc iterum, veluti cernens instare sepulchrum,
Dumq́ operi immoritur plusquã pateretur & annis
Obsita canicies, & facta laboribus olim
Imbecilla valetudo. sua vellera Parcis
Vlterius rigidis pigitum pernêre, dieque
Nudauêre colum, fatorum legibus vsa,
Quid facient critici? num lima paratur Erasmo.
Quis sutor videat quod subterfugit Apellem.
Audax iam crepidam supra temerarius ire?

i cohibete manus, Veneremq; relinquite Cois
æptam potius, liceat, si incœpta vocare
ipta ea, quæ nobis, vel perfectissima, auebat
sua meliora manu ter maximus auctor
ldere, quo Momum, quod nulli contigit, vnus
rpocratem faceret. Sed non sine numine forsan
diderim interijsse, prius quàm deniq; summa
endata manu quirent prodire, relicta
quanto perfecta minus legeremus, Erasmi
ito morte magis res vinceret esse dolendum
n modo Palladijs, & quos iuuat Attica nostris
niscere simul, verum & diuina professis.
m sic altiloquum non emendasse Maronem
iinum illud opus, quod nulla extinxerit ætas;
imur, & maneis nimium reuocare silenteis
lemus, quamuis næuos in corpore tanto
dimus exiguos nihil imminuisse decoris:
imur in medio, properato funere, cantu
igenam siluisse tubam, Pelignaq; plectra
ilio intercepta suo non tempore flemus.
uenio ad nostros. quis non desideret illi
timio reducis donari munera vitæ?
ibi quis stamen fatale retexere nollet
tanti, & superas iterum impartirier auras,
tea quo poscunt tua te monumenta parentem?
o etiam è nostris tenebris excudere flammam
uida mens superum valet, & de labibus aptum
it humanis aliquid, quo lumine cassos
plius orbis amet: Si qui post busta perenne
viuis meruêre decus. Mihi demere certè

Mæstitia hoc aliquid poterat, multumq́ leuaret
Lapsam etiam mentem, quod iam fœlicius illam
Viuere noui animam meritis, cœloq́ potiri.
Nec recreor fortasse nihil. sed rursus eodem
Deijcitur vaga mens, animusq́ relabitur æger,
Dum reputo stolidis patuit quam magna fenestra,
Vt, quum impunè licet, famam, cineremq́ calentē
Nunc etiam, adficiant probris, & toxica tetra
Viperea effundant rabie, virusq́ procaci
Ore vomant, satientq́ suo se more licenter,
Quod clypeum eloquij nequeant opponere manes.
At quia sic superis visum, sic fata tulêre,
Erumpet lymphata cohors, ad commoda sæuo
Tempora liuori rapiat, lachrymisq́ piorum
Inludat. venient, nec longè, secla redemptum
Quum magno magnum frustra volet orbis Erasmū.

Eiusdem ad Nicolaum Clenardum.

CLenarde, si quem mæror occupat grauis,
Et impotens premat dolor,
Dolor querelarum obstruit leueis fores,
Clauditq́ sermonis vias,
Mentemq́ cogit languidam obstipescere.
Vtcunq́ qui potest queri,
Miti dolore adspergitur præcordia
Factura questibus modum.
Erasmus ille, ille ille Erasmus. hei mihi
Erasmus ille obit diem.
Tuba illa, vastum audita per mundum, silet
Silet tuba illa multiplex.

tu recenti sauciatum vulnere
Versu laceßis non semel,
usq; magni manibus iubes pijs
Tristem dicare naniam.
is dolentem amice parcas obsecro.
Exulcerare adhuc magis.
agra mens sensum priorem colligit,
Dandusq; lachrymis locus.
mitte dulces luminum impetus meis
Paulisper effluant genis.
us meum est, curabo ego funus meum
Efferri quo queam modo.

Ad Andræam Quatrinium.

Bsceßus virideis, neq;
Exurunt medici, nec resecant, quibus
Coi studium est senis,
Aut chartas Pharij nosse Philoxeni.
rtunt tamen vndiq;
Quidquid se tumidis partibus ingerit,
n pus absq; doloribus
Scalpellum ferat aut sponte sua fluat.
u carnifices manus
Iam Quatrini adhibes immedicabili,
n crudus tumor erubet
Tractandoq; magis læditur ac magis.
sum tam rudis ingeni
Vt Desiderio funera nesciam
mortalibus omnibus
Aduenisse meo, lege adamantina

Fatorum, & potius mihi
Gaudendum, grauibus functa laboribus
Quod vita, imperio Iouis
Hæc nequam miserati mala seculi,
Mutata in melius fuit,
Aeternum vt maneat siderea in domo.
Exhorret monitus graueis
Sed mens, vulneribus læsa recentibus.
Humanos malè supprimit
Adfectus, hominem pectore qui gerit.
Mærorem tamen auferet
Rerum tempus edax. Sic ego forsitan
Angar mitius in dies.
Omnem sed penitus mæstitiam, neq;
In sese reuolubiles
Anni, nec poterunt tempora tollere.
Ebora. Octob. 1536.

L. ANDR. RESENDII LVSITANI

Epicedion rapto Daciæ Principi ad Cæsarem.



I decet Augusti corrumpi lumina fletu,
Et vacat, vrgenteis lachrymas prorumpere apertè
Nemo vetet, nemo humanos tibi maxime Cæsar
xuat affectus, perijt tibi charus alumnus.
le puer, puer ille, eheu puer ille decorus,
uidia ille deum, fatorum crimen, & ingens
eua tuum Libitina nefas. nec profuit ætas,
ec pia relligio, nec Cæsar auunculus. ibis
miserande puer sub terras. ibit imago
t parua vmbra tui per inania. perdimus ipsi
d tumulum lachymas, & carmina vana, sepulto
aud quaquam latura aliquam post fata salutem.
t qui hos ante dies, quum nondum lumine cassus
æsarem graderere comes, turbaq́; fauentis
ra in te raperes, & vota libentia nullis
xaudita Deis, longè diuersa poeta
m meditabamur tibi carmina. iamq́; subibat
e dies frustra, quum te, nil tale merentem
xtorrem patria, pulsumq́; tyrannide, auitis
sceptris, postliminio tua Dacia regem

Cerneret, & reduci ad sensu se dederet vno.
Ante oculos Hymenaeus erat, versuq; dicaci
Poscebare nuces. en, vt rupêre sorores
Fila tibi tetricae. praetexta raptus in ipsa
Scite puer, formose puer, decedis ad vmbras.
O mala fata, ô fata hominum gaudentia semper
Supplicijs. puer ille iacet, puer ille decorus.
Nec misero saltem licuit tria viuere lustra,
Florigerisq; Larum sertis venerarier aras,
Custodesue deos votis augere, relicta
Donatos bulla. en quo spes, quo vota procaces
Diripuêre noti. peregrinis exul in oris
Ille puer, puer ille, eheu puer ille decorus
Obcubuit, vitaq; modum trieteride quarta,
A, nimis ante diem, rigidis explere coactus
Fatorum imperijs, ferali clauditur vrna.
Sensit enim Porthmeus infausta nauita cymba
Frustrandum se olim multarũ, Acherontis ad vndas
Vmbrarum naulo, puero si sceptra redirent.
Nam neq; tum Dacis de relligione priorum
Demere fas, pronumue foret, ne rege sub illo,
Suppliciter meritum plebs non deferret honorem
Augustis diuorum aris, nec thura negaret.
Haec metuens, Stygij Iouis, Ennaeaq; Diana
Implorauit opem. sauam ciet ille Megaeram
Et mandata dedit. superas exiret in auras,
Turbaretq; armis populos ciuilibus, ipsum
Imperium rerum geminis partita tyrannis
Foedere discordi. mora nulla, immiscuit atra
Noctis alumna animos, vulgiq; incerta flagello

Pectora vipereo stimulat, regisq; per vrbeis
Saeuum odium inspirat, solioq; exturbat, & vnà
Cum sobole exturbat. sed non effecit, vt vnà
Cum genitore puer spem regni perderet. illum
Poscebant votis, modo pubertatis ad annos
Coniugio & sceptris venisset idoneus. ipse
Consilio Caesar secum reputabat inani
Quanam esset factura virum nurus. heu sine caussa
Iracunda Themi, & Nemesi vix mitior ipsa.
Vsque adeò scelus, vsq; adeò pia vota putandum
Praecepisse nefas? vidit sine numine tendi
Nec nutu dea caeca suo spem mente foueri
Immodicè, & stomachum risit subcensa, suumq;
In miserum vis omne rapit. comitatur euntem
Pallida letheis mors grassatura sagittis,
Et morbi, atq; truci nimium violentia vultu.
Et puero ante oculos sese obiecêre timenti.
Horruit infelix monstra haec, & lumina guttis
Grandibus auertit humecta. breuiq; querela.
Bracchiaq; aegra leuâns coelo fata, inquit, iniqua
Vicistis, spoliatus eo quò saeua iubetis.
At vos ò superi celsum qui habitantis olympum
Adspicite haec oculis iam nunc melioribus. olli
Dicere tentanti plura intercepit anhela
Vocis iter fugiens de corpore vita relicto.
Fer consanguinei tumulo pie Caesar alumni,
Fer lachrymas. pulla concedat purpura vesti,
Succedantq; tholis aulaea nefasta, querelis
Dum flendo exatietur amor, tragicoq; Hymenaee
Ornatu ad tumulum cane. pro genialibus atras

Vre faces. sic, sic thalamos puer ille decorus
Consequitur pactos. sic illum in sceptra reponis.
Ipse, fatemur enim, vita sine crimine raptus
Diuorum in numero nullo iam fine, quietam,
Aeternam, stabilem, morbisq; maliq; carentem
Exigit ætatem, misero semotus ab æuo,
Nec quicquam mortale timens, melioreq; sorte
Viuit. at hoc quoniam sic Dij voluistis, habenda
Gratia vobis est. ferimus multo æquius ergo;
Sed tamen ô æterna foret si vestra voluntas'
Vt, nondum infelix crudeleis missus ad vmbras
Viueret, hæc eadem certè poteratis & olim
Munera tanta dare, & nunquam committeret ipse
Læderet vt vestrum numen. nos indole summa
Interea potiremur, qua non dulcior inter
Altera mortales erat, heu puer vnice, quo nunc
Quo miserande iaces? populi qui nuper in ore
Multus eras, abolent iam sæua obliuia, vixq;
Vnus & alter erit, qui dempto Cæsare voluat
Mente tuos casus, sic summa atq; ima tenebris
Mors æquare solet, Stygiaque inuoluere Lethe.

EIVSDEM DE VITA AVlica ad Speratum Martianum Ferrariam Lusitanum.

PARS *animi nostri quid agis* SPERATE? *vales ne?*
Pieris ecquid agit tua nunc? nostra aulica facta
Accipe, vt ætatem medio sine more tumultus

Inter agat. Solet aula suo peruertere ritu
Ferrea naturæ iura, & stata tempora, quæ non
Hoc iubar æthereum variet, nec sidera mutent:
Nec mutent qui quod statuit Natura, sequuntur,
Et seruant anni, mensesq́, & sæcla ferarum.
Hincne globum, Sperate, vides, quæ dicere mundum
Sueuimus? hunc orbem quo præcipitante rotatu
Voluatur, veluti statuit qui condidit illum?
Vtq́, ferat, referatq́, facem? Pallantidos ortu
Quum surgit, dixêre diem, quam rebus agundis
Constituere dei miseris mortalibus horam,
Qua cœtus celebrare decet, qua quærere victum.
Quod quia nouerunt tempus volucresq́, feræq́,
Tunc pascuntur, eunt quo fert sua quamq́, libido.
At quum flammiuomos Pyroinq́, Phlegonaq́, nostri
Iam lauit vnda Tagi, noctem adpellare solemus.
Tunc taciturna quies, & tempus inire cubile,
Et dulces somnos, fessisq́, dare otia membris,
Nocte silent nemora alta, silent volucresq́, feræq́,
Dum reparet Phœbi roseum Matuta nitorem.
Tunc repetenda opera nobis, & membra refota
Corripienda toro, volucris quum quæq́, salutet
Garritu iubar exoriens. Aliter tamen aula:
Nox vbi facta dies, & manè stertitur altum
Quum minus ad sextam. contra, lux alma diei
Vertitur in noctem. dormitur luce diurna,
Nox abit ex somnis. tunc, damnosusq́, fritillus,
Senioq́, & posita colluditur alea mensa.
Et quo quisq́, magis noctem vigilauerit, almam
Dormieritq́, diem, sibi eo regalior, atq́,

 Nobilior,

Nobilior, Tuscáq; magis de stirpe videtur.
Viuere naturæ tu conuenientius aude
Nobilium ex albo radére, interq; minutas
Et vileis miserorum animas numerabere, fossor
Quod quasi, praduro qui curta diaria tota
Luce bidente meret, sudore & puluere victus,
Sideris expectes casum, & quum Phosphorus axem
Vix Hyperionium reuehat, iam more fabrorum
Incudem incipias ictu pertundere crebro.
Sanius hunc nostrum furere adsuefecimus, horam
Solus vt ad quartam surgat. Tunc ipse vocatus
Adsum, formando eloquio, donec prope sexta
Adpetit, & medium sublima adscenderit orbem
Titanis quadriga citi. sacroq; peracto,
Atq; salutigero grege plenis adibus itur
Ad mensam. si fortè locus vacat, ipse quoq; vnà
Adcumbo, at vescor tacitus, sermoq; loquenteis
Tum verò audire est mendacia mille referri.
Ille, vt aduletur, qua Lusitania nóstra est,
Iam vocat Elysias sedes, iam mœnia diuum,
Ille, suas memorat pugnas, vt solus in hosteis
Mille ruit, pugno quot malas fregerit vno
Ipsius proauus, quot menta euulserit, audis
Hunc tam magnificè flantem mera prœlia? voces
Alcide dignas? oculis en adspice limis,
Non trux adspectus, non horrent bracchia villis
Læuia quin blando attritu facit arida pumex
Ora, rubentq; genæ, cirros calamistra retorquent,
Vdaq; malobatro Assyrio coma sordet. abolla
Pellita exuuijs fibrinis, atq; superba

Muro

Mure peregrino, infectas effœminat auras,
Quum foret huic caprum redolere decentius, alter
Narrare obcipiet mœchas quot amauerit. vnum
Se propter, quot iam mortem oppetiere puellæ,
Et quot virginibus rapuit blanda arte pudorem.
Atq; erit is forsan Polyphemo toruior. Aetna
Rustica quem fugit iuga per Galatheia sequentem.
Ille manus vinctus post terga, armisq; grauatus
Transiliebat equum plantis coeuntibus, atqui
Me nil peius habet, quam pinguis belua, librum
Quæ modo de victus scripsit ratione, latinis
Vocibus. interdum, sed quas vespillo cacaret,
Aut etiam pollinctor, eorum qui are minuto
Sandapilas gestare solent. folijsq; cadauer
Condere fictilibus. melius, contentus Ibero
Si sermone foret. librum protendit, & auctor
Clamat ego istius sum libri, Cæsar vbiq;
Quem legit, inq; sinu gestat. medicíq; rotundo
Ore opus esse sui dicit, tunc ipse rogatus
Fœtores illos, vnguenta exotica cogor
Dicere. quid faciam? nisi laudem, liuide vates
Illicet audiero. mentimur tutius. aula
Libertas odio est, fallendi nescius, & cui
Candida simplicitas placeat magis, exeat aulam.
Nunquam heic rem faciet, febri morietur acuta,
Oscula ni libro quantumuis figat inepto.
Et saltem medico lachrymam præsente coactam
Excudat, stilletq; super, rugosa cachinnum
Sanna licet moueat, multum dicentis ab ore
Pendeat. Interea non deerit mentio, quidnam,

Quæ

Qua ratione, citam constringat valdius aluum,
Constrictamúe ciat? quando deducitur, vtris
Vtilius, merdiúe fluentibus, an ne coactis?
Tu patere hac, quamuis te nausea vexet, abire
Quum tibi non liceat, tenerum, nimijsq́; solutum
Delicijs quin te inclament. rideberis absens,
En tibi. quid faceret, si fortè cadauera supra
Putria, opus foret in castris prandere, nateisq́;
Interfecti hostis stomacho pulsare valenti,
Fortibus vt mos est? vbi mensa remota, sedere
Cogor ad octauam. non est ciuile, repente
Prorupisse foras. maiestas aulica mores
Longè alios poscit, quàm quos Parnassia rupes.
Inde vbi nona venit, rapior conclaue ad herile
Longaq́; perpetior fastidia grammaticorum
Quod spatij superest, ad metam solis Iberi,
Et treis noctis ad hac horas. cognoscere quantum
Discipulus pergat, cupies. spes Hercule magnas
Concepi, balbutit adhuc, sed scribit, & audet.
Iuppiter vt valet ingenio, vt rimatur acutè,
Plus etiam interdum, quam vellem. aliquando resi-
stit,
Obduratq́; tenax. ego tunc permitto labascat,
Et casum tacitè expecto. sudauit & alsit,
Tandē vbi se implicitū sentitq́; haretq́;, magistrum
Mitior implorat, se damnat & arguit ipse,
Sponteq́; dat pœnas, blanditur, & allicit, ohe
Hunc mihi tu narras? non vidi dulcius vnquam
Ingenium, nec come magis. mirabere forsan
Mi Sperate, virum, crudo qui Marte iuuentam

Han-

Hauserat in Libye, suetus Nasamona ferire,
Doctus Hamaxobium celerem superare, palestra
Esse adeò Musarum aptum. Natura benigna
Et genus antiquum facit hoc, vt nobile robur,
Nobileq́; ingenium, bene coniungantur in vno.
Et neq; crediderim tantum Mauortia tela
Virgineos horrere choros, quum serta petantur
Fortibus à luco Musarum, & amara triumphus
Laurea. Tyrræi fuerit quum castra sequuta
Calliope & quorum modo non meminisse vacabit.
Quum licet horrenda nubat se Gorgone Pallas,
Atq; hastile vibret. positis placatior armis,
Thespiacos inter saltus, placidasq́; reuisat
Aonidas. Quum quarta venit iam noctis, ad ipsam
Egredimur cœnam, donec me quinta cubilis
Ad secreta rapit, paulumq́; ibi obambulo. deinde
Vix vbi quinq; horas dormiui, surgo, measq́;
Ad nugas cupidus redeo, dum quarta diei
Otia conturbat. lego, componoq́;, tametsi
Non adeò vegetus. Nam postquam incũbere chartis
Plus nimio adsueui, dulci retinente Thaleia,
Crudior euasi. quare quum bruma coercet
Luce dies breuiore, ferè nil indigus esca,
Incœnatus eo cubitum. distinguitur isto
Ordine me tempus, donec secessibus illis
Pierijs reddar. mos hic meus. attamen odi
Hanc vitam, & diris qui me illi primus adegit
Deuoueo, quis enim fastidia, vel probus, aula
Vel simplex tulerit? quis tam feliciter vnquam
Vixit, & innocuus, quem non corroserit aula

Den-

Dente malo? expertus, citiùs rear Arcadas inter
Viuere posse lupos inlæsum morsibus agnum,
Psillus erit, cui non possint nocuisse cerastæ,
Et solo intuitu faciunt quem visa nocentem,
Regulus, aut fœdam depictæ cenchrides aluum,
Chersydriq; feri, serpentum & quidquid arenis
Gignitur in Libycis, postquam illac Gorgone cæsa
Remigio alarum rasit leuis aëra Perseus.
Carminibus diris opus est, vt sibila ponant
Ora minas, virosa premant & spicula dentes.
Viuitur haud secus hic, nimium sit blandus oportet,
Et facilis nimium, & medicato carmine menteis
Mulceat, in quem non tetrum vomat aula venenum.
Rarus Aristides aulæ placet, atria gaudent
Magna viris nequam, nomen deferre paratis
Ventris ad imperium: quis enim iucundior illis
Adcumbat mensis, domini conuiua, cliensq;
Regis ad arbitrium quantum mutare subinde
Dicta sui pronus, quem non pugnantia secum
Dicere dispudeat, coram laudare patronum
Immodicè possit præ cunctis, atq; minetur
Fortiter absenti, si contradixerit? illic
Disquatitur quid quisq; gerat. malè pectitur ille,
Induitur miserè, sordeis amat. ille capillum
Et barbam, plumbo pectit, cranijq; senilis
Liuorem tegit ille coma, quam nocte reponat,
Ceu gladium, aut vesteis, vbi mutatoria seruus
Custodit. fœdè hic rem decoquit. ille paternum
Præcipitat funus. quem non spoliauit amica,
Alea peruigilem depauperat. ille lupanar

Crebrò adit, atq; olidis mergit se ganeo lustris,
Securus famæ. Σικελίζει turpius ille.
Ille emit arma quibus quouis spolietur ab hoste.
Hic libris inhiat, chartis pallescit, & aulæ
Inscius, immodicè Ciceronem, Virgiliumq;
Et latias nugas, odiosè inculcat ineptus.
Nam datur id vitio, quod nec putat aula virile,
Atq; virile magis Getica striblígine toruum
Sauromataúe loqui. raros trahit aula peritos,
Quosq; trahit, ludus fiunt & fabula vulgo.
Quo mirere magis, qui nulli parcit, in omneis
Qui sine delectu sæuit, qui crimina inurit,
Atq; verecundo nulli referenda, facetus
Dicetur, salseq; dicax, beneq; aulicus. inter
Hos tamen inuenias multos barbaq;, comaq;,
Atq; supercilio tristes, studioq; sagatos.
Quos, nisi quod rigidis velati bardocucullis
Stoicidas simulant, poteram dixisse clienteis,
Nequius aut aliud. nam nemo garrit in aurem
Improbius. nam nemo malas impensius arteis
His colit, ambitio quam quos, dirusúe cupido
Pontificalis habet decoris. procerumq; fauoris
Sectores, scelus atq; nefas in quodlibet audent.
Iam quis inoffensè morem patiatur eorum,
Qui se consultos diuinorumq; peritos
Magnificè, buccisq; nimis turgentibus aiunt?
Horũ aliquis, postquam ventrem sine lege saburrat,
Incipit, & quantum nec septem Stentores, ore
Clamoso increpitat. cui confidentia maior
Quam decet. audaces animos facit. omnia nouit

Diuo-

Diuorum secreta, & agat quid Iuppiter altus,
Quid Stygius. quasnam de manibus exigat illis
AEacus æterno pœnas in carcere, quoúe
Ordine nunc illas, nunc has exerceat vmbras.
Quæq; videt solus fatorum conditor, & rex,
Et vix cœlitibus cunctis communicat, audax
Iste, velut tripode à Phœbi, pronunciat. aude
Anne ita sit tecum dubius mussare. peristi.
Toruior armenti quàm dux deductus ab agris
In circum, dantur quoties tauræa triumphis,
Turpe caput decies quatit. à quo protinus audis,
Non colit hic superos. istum mala factio vexat.
Si scelus in nostra terra hóc admitteret, igne
Igne luendum esset. Videtis, quod colligit iste,
In mentem minimè tibi venerat. illud agebas
Vnde arcana deum, & libris non prodita, nosset
Tam bene mortalis, tenebrisq; volutus in istis.
Et, quod putidius, qui sic pronunciat in te,
Fors Epicuræus, vel deprendatur Apella.
Noui ego quuius auus coluisset sabbata semper.
Quuius vterq; parens sæuo arserit igne, nec ijsdem
A fatis tam gnatus abest, etiam audeat ipse,
Non colit hic superos, in quemuis dicere. Multi
Longè aliud sectantur iter. dextramq; seorsim
Adprendent & amicitias simulare periti.
Blanditer affantur, caue ab hoc, quē credis amicum.
Detrahit ille palam, clam te, cum nuper adessem,
Non merito dixit de te mala multa, mihiq;
Propterea iratus nunc est, quod amicus honoris
Ipse tui, famæq; memor, contraria dixi

Cuncta,

Cuncta, pudefeciq́; hominem. pulchrè ista. sed ille
Qui sapiet, temerè nihil huic effutiet. atros
Versat corde dolos monitor, quacunq́; loqueris
Imprudens, inter ridebit pocula mensæ
Alterius, tibi quem blando damnauerat ore.
O pestis genus inuisum. quis sæuus ichneumon
Sic struit insidias? Libyæ quis noxior anguis?
Quæ vel Hyæna magis nocet astu? Dij tibi saxint
Multa mala, humanis & cœtibus interdicant,
Agnino quicunq́; lupum sub vellere celas.
Hostem amo, qui mecum non potat, & odit apertè;
Huic ego, si indigeat, gratis benefecero. vultum
Sic finxit natura mihi, ne gaudia amorem,
Mæstitiamq́;, odiumq́;, vnquã simulare, vel vnquã
Dißimulare queam. veniant à corde necesse est
Aut vultus lepor, aut rugæ mihi. qualis in imis
Concipitur fibris, talis sine fraude maligna
Inq́; oculis, inq́; ore mihi præfertur imago.
Atq́; etiam vt nostro nec singula de grege liber,
Nec nihil attingam, faciunt mihi sæpè pudorem
Isti, qui exigua prostant mercede, sacramq́;
Vanalem cœnis saliaribus Hippocrenen
Proscribunt, quorum est ingens heic copia, quando
Nulla malis vnquam caruerunt sæcla poetis.
Cuilibet è vulgo dant carmina, carmina certè
Apta magis furcis, quàm cedro. exordiaq́; ipsa
Sumere ab aucupio videas. nam protinus illud.
Mi bone Mecœnas, interuenit. inde sorores
Sollicitare nouem, quasi non nisi vindice nodus
Numine dissolui queat, adsueuêre. vocato

Quid tamen effecêre Deo? vt tollatur in altum
Fumus hic, expectes frustra. differtur ab aura
Circa humiles mundi parteis, & repit humi, ceu
Soriceus catulus, qui se promiserat æthram
Fissurum liquidam. dicet communia quædam
Et vulgata. putà, deductum heroa probabit
Sanguine ab Iliaco. si tempore vixet eodem.
Esset, cui pœnas de circum mœnia tracto
Hectore, fortè dares iuuenis Thetideius. atqui
Illum quem laudat, pudeat fortasse parentum,
Aut quia probrose, aut nullis maioribus ortum
Nouerunt multi. fortasse imbellis & agna
Mollior Euganea, viso pallesceret hoste,
Non secus ac infans lamiam, circumq́; volanteis
Nocte pauet lemures, quæ permeat antra Trophoni,
Antra silenti vmbra, tenebrisq́; horrentia fœdis.
Hoc tolerabilius, vates si fingeret aptè.
Nunc, quum falsa canant, quum carmina pessima mensis
Obtrudant, non te Musarum, amnisq́; Medusa
Tædeat & merito? non te scelerata Camenæ
Damna pudefaciant? ô Phœbi dedecus ingens,
Parnassiq́; pudor, quando schedia ista cacata
Effugere, ingratis nec tandem audire licebit?
Verùm ego ne satyram videar nunc cōdere, quamuis
Tempora nulla magis satyram meruêre, sit aula
Delibasse satis mores, & summa sequuto
Meta sit hæc, deinceps forsan me scribere, Cæsar
Quid meditetur, aues. sciit nemo. fallitur ipse,
Et fallit. tamen heic, vt credo, hyemabimus. atqui

Est vt fama, minis dudum prospectat ab altis
Quando suam Cæsar veniat nouus hospes ad vrbem
Neruius, haud noui quam sponte. ad flumina Rheni,
Atq; in Germanos abitus, frixisse videtur.
Nuper imago fuit belli celebrata. putares
Rem fieri Romæ in campo de nomine Martis.
Nam cataphractorũ centum, leui acynace primum.
Hastaq́;, clauaq́;, manum conferre parati,
Præsignes ad circum omnes ardentibus armis
Cum multis ibant mortalibus. ipse iubatos,
Par vt erat, galearum apices, conosq́;, tripictis
Fulgenteis plumis auium, pinusq́; dolatas
Præfragileis vidi, quarum sex, frangere calce
Non multum addubitem. Si quidquam latius optas,
Quære alium, norit qui fingere multa, poëtam.
Noster Apollo rudis, non hæc ludícra pauescit.
Nec sonat arma, nisi quum nos truculenta Gradiui
Effigies horrore quatit. quin, adspice mores
Aonios vere. nactus tum tempora nugis
Opportuna meis, Louania solus adiui
Mœnia, Gocleniq́; mei de carmine quodam
Nunc nuper facto, certum, verumq́; subiui
Iudicium. vt tandem claudatur epistola, rectè
Fac mi anime vt valeas. tibi lucubratio nostra
Vna hæc quæso via, quamuis leue, qualeq; cumq;
Sit solatiolum. mihi erit quod iusseris ipse.

Vale. Brúxellis Calendis Nouembrib.
M. D. XXXI.

L. ANDR. RESENDII IN OBITVM D. IOANNIS III. LVSITANIAE REGIS Conquestio.



Rô superi, quid enim quam cœlum implere querelis,
Possum aliud? prô heu superi, quo tristia nostra
Gentis fata ruunt? regni ne exstinguere nomen
Atq; decus struitis: quod vos ex omnibus vnum
Intacta pietate colit? quod numina vestra
Et tremit, & prisca sub relligione veretur?
Certè summe pater, summi & patris vnica proles,
Tuq; ab vtroq; Deus nexu conflate perenni,
Sancta trias, ter sancta monas, quum cætera fœdis
Dißideant sectis regna Europæa, nec vlla
Non rea sint diuûm de maiestate minuta,
Impolluta manet tibi Lusitania, ritu
Inq; dies horasq; magis deuota vetusto.
Perq; procellosum latè victricibus armis
Oceanum fert signa crucis, cœlestia gentes
Sacra docens varias, seu quas vastū æquor Atlantis,
Vsq; sub Eoos, & primi litora Phœbi,
Seu quas aduersis ambit de partibus arctos.
Hanc igitur supreme parens exscindere gentem,
Hoc regnum delere paras? en regia maret

Squallida funeribus, paucis vacuata sub annis.
Siccine iam pridem tibi Lusitania nullus
Non feralis erit, non & funestus abibit
Annus? & in pullo semper marcebis amictu?
Siccine tot regum series intercidit illa,
Quæ tibi de magno dudum Emmanuele vigebat
Regno habilis, sceptriq; capax, virtute superba?
Mitto alios. ingens vbi nunc Vernandus? vbi ille
Inclytus Alphonsus, quem purpura sacra tegebat?
Viuida vis animi, & virtus generosa Duartis,
Quàm citò defecit, viridi subcisa iuuenta?
Magnanimus Ludouicus vbi est? vbi dextera fortis,
Robur & excellens, vno quo Carole fisus
Sperasti ambiguum tibi de Tunete triumphum?
Ad regem venio, fratrum qui maximus ortu,
Sceptra patris sancto tenuit moderamine, quuius
Si spectes quoties Lucinam experta fauentem
Vxor magna fuit, præsto est numerosa propago.
Si spectes quoties Libitinam expertus vterq;,
De grege bisquino nullum superesse dolebis.
Tot pueri immaturi æuo, tot morte puellæ
Absumptæ vacuam liquêre parentibus aulam.
De numero tanto minimus qui fortè superstes
Attigerat tria lustra puer, formosus, & vltra
Humanum egregia puer indole, iamq; maritus,
Iam gener Augusti, iam sponsam impleerat, & ecce,
Me miserum impedior lacrymis, nec verba dolori
Sufficiunt, leuis vmbra fuit puer ille decorus,
Vix dum completis cum coniuge mensibus octo,
Et noua nupta, prius viduam se deniq; vidit,

Quam matrem. sæuumq́; coacta misella dolorem
Deglutire, vterum fletu ne læderet ægro.
Anxiferos questus ad nixus distulit horam.
Scilicet vt nobis animosa puella futurum
Quum pareret regem, vitam ipsa exosa molestam,
Tormentis animam efflaret cruciata duobus.
Iacturas tamen has, seniore superstite nostro,
Qui patriæ, potius quam rex, pater atq; magister
Iure bono dicendus erat, moderatius atq;
Quam pro re paulò tulimus constantius, vnde
Cladibus in tantis solatia quærebamus.
Et merito. quid enim? septem compleuerat æquo
Semper olympiadas regno, mitiq́; regebat
Imperio populos, nec signa tyrannidis vnquam
Vlla dedit, potius de mansuetudine summa
Fortè redargutus vulgi sermone, putantis
Eximium bellare decus, regumq́; furores
Iudicio ac voto malè suspicientis iniquo.
Non equidem bellis, susceptaq́; gestaq́; rite
Sint modo, detracto, nec mens tam deuia nobis
Vnquam erit, vt nostrum fuerit quibus artibus auctũ
Imperium, aque bonis partum maioribus, harum
Pœniteat. Sed vix vnquam tam iusta mouebis
Arma prior, multum sceleris quin traxeris inde.
Vix etiam tam bella geres feliciter vnquam,
Quin ex ijs capias incommoda maxima victor,
Vt satius de iure tuo decedere paulò
Sit tibi, ne belli sortem experiare cruenti.
Hæc igitur sapiens quum rex bene nosset, & illi
Vna salus populi, quam Martia gloria, longè

Esset


Esset cara magis, totam exardentia pridem
Bella per Europam, nostras contingere terras
Non sinit, dulci refouens nos vndiq; pace.
Sapè suas Bellona faces torquere parabat,
Sepè faces illi prudentia regis ademit.
Pro pietate tamen, pro relligione tuenda,
Proq; fide in superos, ducibus quam bella frequenter
Mandarit scieritq; suis, grauiore cothurno
Est opus. hoc præstet facili Pinarius ore,
Æternis mandat qui regia tempora chartis.
Me dolor indomitus, crudumq; in pectore vulnus
Vix hæc pauca sinit turbato scribere sensu.
Dicere summatim sit fas mihi, singula magni
Regis vt expendas examine facta seuero,
Aut nihil, aut minimũ inuenias quòd carpere posis,
Quum tamen obcurrant paßim tibi cætera, morsu
Deterere inuidiæ quæ non queat hostis iniquus.
Iure igitur nobis illo viuente ruinas
Erigere inflictas, vel sustentare dabatur.
Ariete fatali sed nunc impulsa calumna
Qua nitebatur patriæ spes, omnia latè
Conquaßit, casumq; grauem fortuna minatur,
Numina ni nobis pia subueniatis, & igni
Scintillam ex tanto reliquam superesse velitis,
Hei mihi quam tenui filo pendemus. habenas
Suscepit regni de lacte tenerrimus infans,
Qui crepitacillum à sceptro distinguere, nondum
Nosse per ætatem potis est, licet omnis in illo
Viuit imago patris, facies & auita refulget.
Cresce puer, rex cresce puer, pueriq; parentis

Posthuma progenies, & aui iustißima cura,
Cresce oro, atq; annos vita genitoris ademptos
Viue, & viue tuos. sic vulnera nostra coibunt.
Et tu Vincenti cœli decus, & decus ingens
Vrbis Odysseia, qua te ditata sepulto
Vna caput cunctas tandem super extulit vrbeis,
Huc ades, & si te vates tuus ille mouere
Non mereor, ciueis facilis tibi cerne dicatos
Deformeis luctu, mutata veste nefastos.
Tu quoq; qui puerum dias in luminis oras
Eduxti, nomenq; tuo de nomine signas,
Nomen ab augusto quod deflexêre Pelasgi,
Diue faue, quondam pro Christo exposte sagittis
Pectora vulnificis, vnde & tibi rector Olympi
Numen habere dedit magnum, sauaq; leuanda
Pestilitate potens, bene quod testantur Olyßis
Mœnia Dulichij, per te seruata patronum.
Ergo age, funereas abigas bone Diue sagittas
Sedibus à nostris, à nostra longius aula.
Quin ambo clari præsenti numine, feßis
Ferte boni modò rebus opem, si vestra quotannis
Sacra pij colimus, si altaria semper adimus,
Ac redeunte nouo si templa reuisimus anno,
Floribus hibernis velati tempora pompis,
Arte laboratas ceras flammisq; coruscas
Gestantes manibus, & carmina persoluentes.
Interea teneros donec firmauerit artus
Rex puer, & sceptro sit idonea dextra gerendo,
Tu celsi regina animi, viduata marito,
Sancia mæstitia licet, & licet obruta sæui

Molo

Mole doloris hebes, muliebrem ſupprime luctum,
Ac mentem ad curas potius compone vírileis.
Munia obi mage grata viro, meliora nepoti.
Eſt quicum ingenteis aut participare labores,
Conſilia aut conferre queas de rebus agendis,
Romani Henricus merito pars prima ſenatus,
Quem columen patriæ de tot modo fratribus vnum
Ipſa videt, videatq́ diu precor. ille labantem
Excipiet humeris ne peſſum eat. ille parentis
Adſectu, & magni patrui indulgentia, herili
Pupilli curam geret, obſequiúmq; fidele
Præſtabit. Seruate piæ bona numina gentis
Relliquias, ſeruate decus cum rege vetuſtum.
Sin aliter viſum, & regni ſtat perdere nomen
Me prius, en me me ſcelerata perdite morte,
Me prius æternis nox obruat illa tenébris,
Poſtquam nulla dies iterum exſpectãda, ſed vmbra
Atque chaos ſtygia conuoluens omnia Lethe.

EPISTOLA AD D. EMMANVELIS. P. F. INVICTI FILIAM, D. IOANNIS III. P. F. INVICTI Sororem, MARIAM, principem eruditissimam.



AM pridem studijs alijs addictior, cui
Quantum quumq; mihi, aut vita superesset agenda
Decreram sterileis procul amandare Camenas.
Iamq; Helicon sordere mihi, iamq; vnda Medusæ
Cœperat, & sensim vilescere mystica laurus.
Siue id iudicio, seu quod calor entheus ille
Frixerat, in senium paulò vergentibus annis.
Siue quod iratum Genium reperisset in aula
Libera Calliope, nunquam persuasa fauorem
Aut emere obsequijs, aut ancillarier vlli
Admiratori. tantum confisa probari
Simplicitate sua, Phœboq; innixa fauenti,
Limen ad Augustum gressus pietate ferebat.
Dißidium hoc, tripodum rex indignatus Apollo,
Se mihi conspicuum præbens, his vocibus infit.
Scilicet idcirco lymphis Aganippidos vnda
Lauimus, & nostris ingrate sororibus, aluo
Pæne ipso ex matris, te mandarâmus alendum,
Vt modo Parnaßi calcato numine, doctis

Inlu-

Inlusisse sacris, inter iactêre profanos.
Ergo ego iam frustra pharetramq; arcumq; sonantem
Arma gero? frustra dextram mihi complet arundo?
Haud ita me experti Python, Niobesq; superbum
Ante genus, validis traiecti corda sagittis.
Nunc agite ô Musæ, longum mihi carpite ramum.
Aut sertum, aut telum adcipiat. sic voce minaci
Certum hinc exitium intẽtans, hinc Delphica serta
Porrigit. adcepi. morsa tum virgine lauru,
Pierium mea mens diuinitus acta furorem
Concipit. vrgentemq; gerens in pectore Phœbum
Quid canerem dubius, vel qui mihi carminis ordo
Soluerit ora, modo hàc, illac modo, more ferebar
Phœbados adreptæ, pressa quum voce vagatur.
Ecce autem medias inter Pimpleiadas, ibat
Virgo sacris, lauru flauos redimita capillos.
Et nisi Itoniados nossem simulacra Mineruæ,
Hastamq;, galeamq;, trucemq; sub ægide vultum
Palladacredideram, incessu dea maxima certè
Credi digna fuit. geminæ cui ponè ministræ:
Hæc graphium & tabulas gestabat, at illa libellos.
Huic chorus ille sacer magno submissus honore,
Arbitrium sancti permisit fontis. auebam
Ecqua diua foret cognoscere. Namque dearum
Esse aliquam, dubitare nefas. quum vellit vtramq;
Calliope auriculam, satis & tu rusticus, inquit,
Es vates, patriæ ignarus, patriiq; decôris.
Tolle oculos, tolle eia oculos, adnosce tuorum
Progeniem Regum Mariam, quam maximus ille

Emma-

Emmanuel genuit, frater quam maximus, orbis
Destinat imperio, ac rerum ad fastigia summa
Non sine dijs aluit. viden' vt regina feratur
Inter Hyampaas facie pulcherrima nymphas?
Porro autem comitum, quæ iam maturior aui,
Carminibus tibi nota tuis est Vasia, quuius
Vt sileam mores, inculpatêque iuuentam
Hactenus exactam, laus est ea magna, quod aula
Dux bona virginibus Latias præluxit ad arteis.
Altera Sigæa est, virgo admirabilis, vnam
Quam natura potens ideò produxit, vt esset
Fœmina, quæ maribus vitam opprobrare supinam
Posset, & ignauos magno adfecisse rubore.
Nam quum septenæ vix dum trietcridis annos
Computet, indefessa dies, noctêsq;, Latinas
Voluere non cessat chartas, non cessat Achæas,
Moseaque, & Solymos rimatur sedula vates.
Quin per Achemenios scopulos, Arabumqúe salébras
Currit inoffensè, linguarum quinque perita.
Quum nihil interea qui se profiterier audent
Esse sophos, pudeat saltem ne scire Latine.
Hæc cognosse satis: sed erunt tibi cætera curæ.
Dixit, & ex oculis simul abscessêre per auras.
Nunc tecum ô princeps sermo est mihi maxima, gentis
Lusiadûm, & sexus decus immortale secundi.
Debebam, fateor, tibi carmina, nec mihi quidquam
Plus erat in votis, quàm tanto fœnore solui.
Sed velut ad Ianum medium qui impingit, & vnas
Atque alias, aliasqúe sinit transire calendas,

Auget

Auget in immensum fœturam sortis iniquam,
Donec eò tandem res, non frugaliter vso,
Deuenit, vt misero, si creditor vrget, opus sit
Turpiter addici, duciq́; bonis ve paternis
Cedere, si prætor vel nobilitate mouetur,
Vel caput intégrum ciui seruare laborat,
Quod satis esse putet fortunis omnibus illum
Exutum, tantumq́; sui modo iuris abire:
Sic mihi dum tempus nunc hoc, nunc illud, & illud
Captabam, adcreuit quod debeo semper in horas,
Vt iam soluendo, nisi nexum addixeris, imo
Addictus, nexus, capite omninóque minutus,
Nec sim, nec sperem posthac fore. Quantula nanque
Vis animi nostri est, vt suffectura sit amplum
Ire per Oceanum laudum regina tuarum?
Quæ quotquot famam ingenij meruêre puellas
Aut superas, aut, si dicendum pressius, æquas.
Scilicet adsurgit, priscos mirata, vetustas
Zenobiæ, & quantos celebris matrona meretur
Palmyra dant titulos, grata pietate superbos.
Scilicet Eudociam memori sacrauimus æuo.
Quæ licet insignes & regno & laude ferantur,
Non tamen exiguam partem sibi vindicat. ætas
Illa prior, mirum quum non erat esse disertas.
Cornifici' quum docta soror, quum Hortensia vultu
Intrepido, horrendum adspiceret dictura senatum.
At modo, quum nondum Rhodopen Hæmumq́; niualem
Barbaries omnis repetiit, licet imperet illi
Optimus exsilium frater tuus, vndiq́; iectis

Qui lolium infelix satagant melioribus herbis
Exstirpare satis, ne Lusitana iuuentus
Iam posthac peregre veteres suspiret Athenas,
Et quamquam hæc ita sint, quum vix tamen vnus & alter
Cernitur eloquio sexum decorare virilem,
Fœmina quum coruo contingit rarius albo
Artibus ingenuis pollens, linguaq; nitore,
Te tua nobilitat virtus, animosa virago,
Quod doctrinarum raperis dulcedine mira.
Atq; animi dotes opibus, sceptrisq;, priores
Iudicio ducis, rectoq; examine libra.
Deniq; posthabito formæ excellentis honore,
Deside mollitia, ac penitus languore sepulto,
Excolis ingenium, studijs operata Mineruæ.
Nec tibi tam regni spes adblanditur habendi,
Quam trahit attonitam facundia docta Platonis,
Quam cumulare iuuat libros. tibi pulchra supellex
Hæc placet, hæc animum curis oblectat omissis
Quæ stimulare solent, mentesq; agitare pusillas.
Salue ô egregium virgo decus innuptarum.
Dij quæquumq; voles tibi dent: tua vota secundet
Qui faciles præbet votis sapientibus aureis,
Quem merito dixêre Iouem, lucisq; parentem,
Quem Phthium reges, donis potioribus aucti,
Et colere, & cultu debent potiore vereri.
Ipse tibi ingenium mite inspirauit ab ortu,
Ipse etiam imperium nullo tibi fine propaget.

MAG-

MAGNIFICI ORATORIS ANGLIAE, IN EFFIGIEM SEBASTIANI regis nostri Christianissimi Epigramma.

CErnitur in puero naturæ fabrica rege,
Palladis os, Veneris gratia, forma Iouis.
Adspectus grauitas, vultus constantia, mentis
Compositæ facies, omnia plena Deo.
Hæc Portugaliæ rex ornamenta beatus
Occupat. ô patriæ gloria rara suæ.

ANDR. RESENDII responsio.

NAturæ in nostro dona excellentia rege
Quæ numeras, multis æquiparanda Deis,
Nos etiam in puero merito gaudemus inesse,
Artificisq; Dei grande fatemur opus.
Sed mentem imbutam si Relligione sacrorum,
Et veræ excultam si pietate notes,
Non aliam hunc animum formam decuisse liquebit,
Nec formæ huic alium competijsse animum,
Alterum ab alterutro si quis secreuerit, erret,
Læsaq; maiestas alterutrius erit.
Rex etiam eximia forma, sine numinis almi
Respectu, exitio est, quum sibi, tum patriæ.

Isthæc

Isthac uexueris, ac regna beata, beatos
Et Lusitanos docte Britanne voca.

AD SEBASTIANVM, LVSITANIAE REGEM SERENISSIMVM, OB REGNI adceptum regimen.

Sceptra bono auspicio cape rex auguste, tuiq;
Ponderibus regni iam nunc adsuesce ferendis.
Satq; superq; datum tutoribus. incipe forteis
Pubertate humeros submittere tute, minores
Nec regno pratexe annos. nihil indole tanta
Indignum facies, tua quum pratexta, senili
Cum grauitate, toga laudem superarit honesta.
Non solis matura venit Sapientia canis,
Et sua primori virtus diuina iuuenta
Munera partitur. sapiunt quibus inditus aura
Plenior atheria vigor, aut sublimius adflat
Ingenium magnas ad res mens prouida mundi.
Hac tibi quam prono placidi clementia cœli
Numine contulerit, probat admirabilis ortus;
Et nox illa pio fletu vigilata tuorum
Vsq; ad Matuta properantia sidera nobis
Felicem radiare diem natalis herilis.
Tum diuo comitata bono lux fulgida. nostras
Qua lachrymas, luctumq;, metumq; extersit, & orbi
Mussanti obciduo Lusi quis regna vetusti

Sumeret

Sumeret, ac rerum trepidis, per gaudia vera
Solicitam exemit curam, periturane rapto
Cum genitore tuo, & decus amissura tiara,
Quorumdam quæ vota deus temeraria sanxit,
Impiaq;, & flatu dedit adsportanda Borao,
An fando mansura magis firmauerit olim,
Nec seriem euertat fatorum. oracula certè
Talia quum se se Orichio monstrauit in agro
Innumeras acies contra certare paranti
Felici Alphonso, dum regna hac conderet olim
Ediderat. decus vnde trahunt insignia vestra.
Talia plagigero Christi Soteris alumno,
Atq; alijs reserata pijs. verum arbiter orbis
Seclorumq; pater, nunquam manifestius ipsum
Prodidit arcanum, quàm nunc, quum pendula nuper
Momento exiguo spes vndiq; nostra labaret.
O pietas, regnum prope desperantibus, almi
Ingentem nostram Iouis indulgentia regem
Te dedit, ac talem dedit, vt si turba rediret
Cunctorum qui sceptra manu tenuêre per orbem,
Et permittatur de cunctis optio, nullum
Optemus nisi te solum. nec scire laboro
An fuerit similis. memores ne voluite fastos.
Destitui exemplis lætor. tibi detrahit ausus
Te conferre, datur cui par similis ve, negatur
Maximus. in parteis scindit conlatio summum.
Ille vel ille pius, prudens fuit ille vel ille,
Aut fortis, iusti ve tenax, aut qualibet acri
Virtute ornatus. Quid ni? fateamur oportet:
Ac ideo ingrati superis ne simus, & ipsos

Herôas memori fama vt meruêre colamus.
Sed te opifex rerum per publica vota petitum
Suppliciter, nobis quum contulit, omnia in vnum
Congeßit, nempe vt donum sciremus olympi.
Nam post busta tui vixdum cinefacta parentis,
Cui mors lethæo comitata sopore nigrantem
Obtendit pallam, & pubis prævertit honorem,
Læta noui thalami spondam suffire cupressu
Funerea, Zygiaq; sacrum interuertere diua,
Mirum ortum lacrymas inter, populiq; precantis
Lamenta, & liquidum rumpenteis æthera voces,
Pontificumq; sacros ritus, effataq; mæsto
Carmina singultu, ac fumanteis turis acerras
Vidimus, & patria veluti prodire fauilla.
Vt phœnica ferunt ortu Titanis eoo.
Vidimus & diuum simul adfulsisse patronum
Augustum faceret qui ex se tibi nomen, & intra
Cunarum lactisq; vices, manifesta fauentis
Signa Dei, quuius nutu imperioq; tuenda
Præsidibus genijs vita mandata pusilli
Sedulitas, & firma dati custodia regni.
Quid memorem quanta pietate puertia creuit?
Quantaq; purpureo probitas coniuncta decori?
Quid memorem dia pro maiestate sacrorum
Impigra quo studio meus ardeat? vtq; supremis
Aetatemq; fidemq; supra, conatibus instes,
Ne bruta impietas aliunde has repat in oras?
Cultricique Dei genti insidietur, eunti
Prisco more viam, obliquis adgressa dolosè
Tramitibus? Pestem banc quum sic puerilibus annis
Intente

Intente caueas, regniq; arcere labores
Ingressu, quid non posthac sperabimus, aucto
Robore, & incrementa animo capiente virili?
Perge igitur pie rex, ostensaq; signa beati
Imperij sub te cœlo pandente futuri,
Vera reapse proba, & sumpto moderamine, de te
Solicitis iam redde vicem, spemq; hactenus altam
Erectamq; modo in cursum, quem Ianus inire
Bis tibi septenus monuit, ne incide morando.
Omnia iam superi quæ portendere, videri
Vera volunt. implere fidem tu posceris. atq;
Ambiguo procul implebis. non Cyrrha furorem
Vaticinum exagitat, mendax nec Apollo, nec Euan
Ludit Echionius vatem. præsagia mundo
Te nascente polus dedit indubitata. facessat
Nequior interpres. non palpum obtrudimus arte
Blandiloqua, nec amœna tuis aut subdola castis
Auribus orsa damus. per me tibi dicit olympus,
Debitor officij quum sis, age diua propago
Gnauiter illud obi. summo de vertice mundi
Prospectat te sanctus auus, te lumine læto
Fama ingens proauus, toto cum stemmate regum
Lysiadum, trabea ac sceptro gemmante decorum
Vt videat, iam dudum arcem super adstat Olyssis,
Quam studio effecit, tenuit dum regna, beatam,
Quam modo barbaricis sublimius esse triumphis
Augendam te rege videt, ceditq; nepoti.
Me mea si cursum lentarint fata, deusq;
Forte senile tuos æuum protendat in actus,
Iuuerit Aoniam rursum conscendere rupem,

Iam pridem emeritum, & fonti, pedis alitis ictu
Gorgoneus quem rupit equus, procũbere, vt haustu
Vberiore, tuo nostrum os famuletur honori.
Sin verò tantum hoc, nullo exorata precatu
Inuideat mihi Parca decus, neq; cernere currus
Laurigeros, vita poterit pars vltima nostræ,
Vos ego tum vates, Pimplæ quibus antra patebunt
Pieria, qui fronde comas cingêtis odora,
Compello, huc alacri memores incumbite mente.
Materiam dabit ipsa dies, semperq; recentem
Interea dum te crescente senesco, tametsi
Languit ingenij vis, nec seruare tenorem
Vena exsucta potest, nunquam te maxime regum
Non loquar, extremo donec iam tempore, noctis
Filia, vocis iter duro mihi pollice frangat.

SE-

SEBASTIANO EXCELSO LVSITANIAE REGI, L. ANDR. Resendius.

RESPONSIONEM ad epistolam quandam Bartholomæi Kebedij viri bene docti, qui inter aulę regiæ sacerdotes, sancto auo tuo aliquandiu inseruierat, edere quum constituissem, quod regnorum tuorum nonnihil interesse putarem, quæsitis ab eo, & in cõtrouersiam adductis rebus satisfacere, & iã cum typographo id agitarem, institerunt cupidius apud me perquam multi, vt hendecasyllabos maiestati tuæ ante mensæis aliquot dicatos, simul ederem. Neq; enim popularis subditorum tuorum amor, & publica in te pietas æquo fert animo apud me vnum celari carmina, quibus pãgendis, non tam meo vnius functus essem officio, quam instinctu numinis vidêrer omnium gessisse perso-

nam, omniumq; vicem suppleſſe. Et ſanè perpulerunt facile nō inuitum. Acceſſit venerabilis patris Franciſci Forrerij Prædicatorij inſtituti prouincialis præfecti, cū voluntate auctoritas. A quo quū editionis permiſſionē peterē, vt ea carmina præmitterē, nō parū aculeatos ipſe quoq; iniecit ſtimulos. Faciat Deus, vt quemadmodum tui te in oculis geſtamus, ſic viciſſim tu Rempub. tuam ita geras, vt quem nunc non modo quaſi Regem cui fideles eſſe tenemur, ſed quaſi filium cariſſimum diligimus, poſthac vt patriæ verum parentem admiremur, atq; vt miraculo diuinitus datum, nobis certo certius perſuadeamus.

SE-

SEBASTIANO HVIVS NOMINIS PRIMO, LVSITANIAE REGI, AFRICO ATLANTICO, AEthiopico, Arabico, Persico, Indico, Traprobanico, L. Andr. Resendius. S. D. humillimè.



EGNI delicium, Sebastiane,
Regum flosculo, quotquot aut fuêre,
Aut sunt, aut alijs erunt in annis,
Rex diuinitus impetrate votis,
Et crebris date lacrymis tuorum,
Ac luce orte bona, boniq; diui
Lucescente die auspicate vitam,
Rex & Lusiadum tuorum ocelle,
Et spes vnica, quuius expetita
Regni vertitur in salute cardo,
Quuiusq; ingenij indolem stupemus,
Et læti omine, gloriamur omnem
Persuasi patria beatitatem
Venturam duce te, statumq; rerum
Florentem, incolumemq; publicarum.
Si quantum omnipotens tibi architectus
Almaq; arbiter vniuersitatis
Prona contulerit benignitate,

Expendas animo sagaciore,
Sanè comperies in omne tempus
Te cœlo, superisq́ue debitorem.
Nam quum nos patriam in tui parentis
Fato praepropero, nimisq́ue sæuo,
Elatam gemeremus, & calenti
Nondum de tumulo reuerteremur,
Post non iusta soluta iusta, quumq́ue
Rerum suspicio palam nouarum
Menteis iam prope perculisset istas,
Illas ambitiosius fouêret,
Optatum caput ortus extulisti,
Cui contradita mox fuêre, cunas
Inter, sceptra loco crepundiorum.
Hoc ceu munere numinis potestas
Lamentabile funus expiaret.
Adde his, quod tua partui propinquum
Dum gestaret onus puella mater,
Nequaquam est sita coniugem videre,
Leti ad finitimas foreis cubanti
Nullam iam medicina opem ferente.
Ne siquid graue contigisset, ipsa
Consternatio fœtui noceret.
Fallebantq́ue diu anxiam ministra
Falsa in gaudia vultibus coactis.
Personamq́ue hilari, ægrimonia hausta,
Rex sumens auus, ad nurus itabat
Spe firmandum animum atque leniendum,
Fomentis quibus ipse egebat, orbus
Post tot depositas subinde proles.

Quid

Quid reginam auiam loquar, medullis
Telum vulnificum intimis tegentem,
Aduersus violentiam doloris
Composito potuisse & obstinato
Vultu adsidere, scireq́; expetenti
Dilectusne valêret, adnuisse?
Verum sensit enim sibi misella
Dudum verba dari, pieq́; acerbi
Celari interitus atrocitatem.
Et regum reuerentia obsequundans,
Assi:to quasi sensuum stupore,
Iuvenas reuocauerat dolorem,
Cui, nec vel gemitu, exitus daretur.
Sic intus miseram exedente luctu,
Quum soluendi vteri adpetisset hora,
Obluctans duplici hinc & inde morbo,
Ac impar cruciatibus putata,
Conturbauit & aulam, & vrbem, & omnes.
Ergo ad numina comprecanda versi,
Decreta ordine supplicatione,
A primis tenebris, profundum ad vsq;
Noctis concubium, igniumq́; cœli
Summo à culmine demeationem,
Delubra omnia, praestitesq́; diuos
Praesumptis adeunt petuntq; votis.
Nox funalibus est propulsa crebris,
Crebris pontificum choris petentum
Pacem de superis benigniorem,
Responsantibus vsquequaq; turmis
Fletum supplicibus, resultat aether,

Aduersumq; dei minacis iram
Pugnatum precibus. Stetit flagellum,
Expugnataq; numinis voluntas.
Vix Thitoma currui iugaleis
Adfrenabat equos, leuata partu
Regina incolumi, puerperiq;
Ergo dedoluit parumper. ipse
Formosus simul, & simul verendus,
Ac iam tum roseum exserente vultum
Cum Pallantide conferendus ipsa
Prodisti, ex vteroq; prodeunti
Clarus martyrio Sebastianus
Ambas supposuit manus, meusq;
Certè hic, dixit, erit peculiaris,
E tot regibus ante qui fuerunt
Primus nomine de meo vocatus.
Firmauitq; fidem tribus sagittis,
Quas vt mnemosynon sui reliquit.
Quæ tunc gaudia? qui triumphus vrbis?
Quot templis merito sacrati honores?
Quot pacalibus hostijs litatum?
Quot Diui imposita arulis coronæ?
Quæ suffimina? quot soluta vota?
Iam solatiolo voluptuoso
Hoc gaudebat auus, repensa ducens
Turba funera filiorum adempta.
Nondum firma solo sola imprimebas,
Vixq; ad dimidiata verba blæsum
Os effingere, balbulus facete,
Cœptabas, & identidem ad papillas

Nutri-

Nutricisq́ tener sinum redibas,
Pensum lanificæ vltimum sorores
Nentes regis aui, scidêre acuto
Scalpro stamina, subrutamq́ pilam
Inniti cui sueueramus, ipse
Tandem præcipitem, graui ruina
Nostra, vidimus, & facem nefastam
Sopitam insidijs nigræ fauillæ,
Immitis Libitina ventilauit.
At Mens prouida quæ gubernat orbem,
Vere Iuppiter, haud adulter ille,
Sed qui nos alit, & iuuat, paterno
Plusquam more, per omnia, omnibusq́
Interfusus, & insitus creatis,
Qui cuncta ante videt, regitq́ fatum,
Momentis genitalibus tributum,
Quum te ad magna vocet, nec id latenti
Nutu, sed quasi prædicante cœlo,
Infantem, fragilem, insciumq́ rerum,
Te non deseruit, manuqúe ductat
Miri sedulitate pædagogi.
Nam quum protinus ordines coissent,
Ad dextræ oscula, gentis instituto,
Sacramentum animo ilicet lubente
Adcepêre tuum, tibi vniuersi
Adfusi, ac genibus palam minores.
Ipse autem solio aureo locatus,
Auro conspicuus, quid esset actum
Nec scibas, neq́ dum sinebat ætas.
Hæc si præstius æstimes, putésq́,

Vt ſint maxima, non minora duces
Quæ poſthac cupio auribus tenellis
Inſtillare tuis tuus poëta
Væ terræ, ſapiens Hebræus inquit,
Rex quuius puer eſt. quod aut puſilla
Aetas conſilio pari gerendis
Rebus deficitur, parumq́ cautam
Harpyiæ vnguibus inuolant in aulam,
Aut fæx publica per licentioſa
Interregna ſibi viam patêre
Tunc exiſtimat ad cupiditates,
Et quum ſeditionibus iuuetur,
Cladem infert patriæ, & trahit ruinam.
Nobiſcum melius ſupernus egit
Rector, quando auiæ, ſimulq́ magno
Tutela patruo data puſilli,
In leges populi tuæ adacti,
Non ſolum ſine contumelioſi
Motus ſuſpicione continentur
In ſancti officio fidelitatis,
Exoptantq́ diem vidêre lætum,
Quum te concilio celebriore
Et maioribus editum theatris,
Sacro carmine, caremoniaq́,
Vnctum Pontifices inaugurabunt,
Ac gemmis radiantibus coronam
Imponent capiti, tibi adprecati
Et vitam, & ſapientiam auctiorem,
Verum & tempore tam pericloſo,
Exardentibus heinc & inde ſectis,

Nil

Nil de relligionibus nouarunt,
Nec cultum veterem æstimant minoris.
At flamma volitante per propinqua,
Non adflarier, aut tumultuari,
Munus grande tibi datum exputato.
Et si respicias tuos ad annos,
Natales abiêre tres decemq́;,
Quinta exin trieteride inchoata.
Verum tu tamen antegressus æuum,
Incanam grauitate moribusq́;
Præfers aut mage præteris, senectam.
Vt felix liceat vocare regnum,
Sub te principe quamlibet puello.
Quæ cuncta attribui Deo necesse est.
Cui si gratus eris, piumq́; mentis
Præstes obsequium, eius vsq; & vsq;
Culturam studio augeas perenni,
Ac diuos merito colas honore,
In primisq́; tuum Sebastianum,
Si nullis aditum sinas patêre
Quos exotica disciplina fœdet,
Imo à finibus arceas tuorum,
Inq́; oras procul hinc malas relêges,
Si non imperio premas atroci,
Sed miti moderere principatu
Deuotas animas tuæ saluti,
Si sacro abstineas, manusq́; puras
Malis tollere, quam reas, ad ipsa
Puluinaria quum precatum adibis,
Et si strenuus Africana bella

Iam

Iam nunc parturias, trucesque tandem
Frenaris Numidas superbienteis,
Quorum myriadas decem cecidit
Gens nuper tua. quum satis proteruo
Arcem præsidiumque Mazagani
Obsedêre animo, & tremenda bella
Gesserunt, animosius ruentes.
Virtute egregia tamen repulsa
Per certamina, tertiaque parte
Multata, obsidium fuga leuarunt.
Horum si reprimas vagationes,
Pulsosque interius, super Nigritas,
Indicto subigas graui tributo,
Si quaquumq; plaga patent eóa,
Quos nondum domuêre bella reges
Submittant tibi cernui tiaras.
Hæc si præstiteris, vt auguramur,
Tum te cœlicolis parem beatis,
Et magno proauo beatiorem,
Heroas super inclytum vetustos,
Quorum fama decus memor sacrauit.
Quem nec de Semele in femur parentis
Translatus, neq; Syrtici Tonantis
Mentitus genesin, nec ille pulsor
Monstrorum, Ioue quem satum vetustas,
Structis insidijs toro pudico,
Alcmena genitrice, fabulatur,
Conlati æquiparent, nec adsequantur.
Et quem quotidie nouis triumphis
Adfectum, ac spolijs, adoreaque,

Matu-

Matura Deus aduocet senecta,
AEuis posterioribus loquendum.

PHILIPPO, HISPANIARVM REGI MAXIMO.

L. ANDR. RESENDIVS Lusitanus.

Forsitan arguerit quisquã hoc, excelse Philippe,
Quod pede me modulóq; meo non metiar, ausus
Musa inopi pulsare tui fastigia summa
Culminis, ignotus tibi, nec de sorte tuorum.
Si tamen expendas animo rem preßius, atq;
Maternam gentem, & consanguinitate propinquos
Lusiadum reges, iam non alienus habebor,
Quantumquumq; rudis vates, & acuminis exsors,
Nec terso eloquio, numeris nec molliter inter
Sese connexis. Quod non admitto grauate.
Non externum igitur, licet ignotum hactenus, audi,
Si nec inutiliter te compellaro, nec aureis
Non opportunis tibi nunc onerauero dictis.
Res à te gestas praeclarè, & bella sub Arcto
Continuata diu gelida, Gallosq; feroces
Fortiter, ẽq; tua retro ditione repulsos,
Belgarumqúe graueis de relligione tumultus
Marte & consilio exstinctos, domitamqúe superba
Perfidiam secta, punitaq; crimina digne

Sup-

Supplicio, iustaq; nefas mercede piatum.
Et memini, & seclis mandabit fama futuris.
Sunt hæc magna quidē, sed enim maiora supersunt,
Quæ nisi perficias, minuisse videbere prima.
Treis si contentus bene digessisse poëta,
Inde remisso animo quartum dormitet ad actum,
Fautricis caueæ murmur, plausumq; theatri
Exspectet frustra, frustra, Vos plaudite, cantor
Inculcet decies, non respondente corona.
Tu quoq;, quuius item vita est exposta theatro
Non tantum Hesperiæ, sed quà sol vergit ad Austros,
Aduersosq; subit propiori luce triones,
Prodisti in scenam. partes feliciter actæ
Sunt aliæ, extremam tandem modò postulat vsus.
Quantum armis actum est, tua quod sapientia terris
Contulit, hoc vno, tibi quod nunc restat agendum,
Altius adcrescit, contra, depletur omisso.
Ne te detineam, pacem connubia nobis
Gallica præstiterant, duo nunc amplissima regna
Exstinctis odijs, optata pace fruuntur.
Quid prodest, si regna domi impacata relinquas?
Impia posteritas Maurorum, opulenta potentis
Granatæ, qui sceptra diu tenuere, nefandam
Post cladem quam passa tua est Hispania quondam,
A proauo deuicta tuo, permissaq; leni
Imperio sibi habere domos, sibi prædia, & hortos
Fontibus irriguos, vitreo vel Singilis amne,
Perq; salutiferos monitus, posuisse lauácro
Purificante, luem veterem iam credita, iamq;
AEquo iure pijs intersita ciuibus, arma

Cæpit, & in montem signis fugitiua Niualem,
Qui, quondam Illiberis vestigia prospicit vrbis,
Extentis secessit, vbi regemq́; creauit,
Celatumq́; nefas bello patefecit aperto.
Dissimulata diu sanioso strúma veneno
Disrupta est tandem, fluit exitiabile virus,
Perniciemq́; tuis casumq́; minatur Iberis.
Arma Philippe, cape arma, sagis bombycina cedant,
Ad saga te res ipsa vocat. non ludicra bella
Esse putes. valida aduersum coiêre cohortes.
Exspectásne suis donec Maurusia pestis
Auxilio veniat? breue quæ vix amplius hora,
Traijciatqúe fretum, Calpetanumqúe per vmbram
Obcupet insidijs litus? non Munda vacillet?
Non Malacitanum feriat trepidatio portum?
Num non exemplo simili turbabitur Accis?
An Bastetanis ad res heinc ansa nouandas
Non dabitur? dubias nec spes Illurco fouebit?
Impellétne parum tacita exspectatio Murgin?
Ad portum Asdrubalis num non cognatio Pœnos,
Conditor, & patrio dictum de nomine nomen,
Cómmoditasq́; loci non inuitare videntur?
Quin quæquumq́; mala de stirpe, vbiquumq́; super-
Relliquiæ, veluti rediuiuo germine radix (sunt
Non runcata satis pergit fruticare, saliuam
Ad veterem obsceni cultus, nisi sedulus instes,
Et ferro obcurras, morbo serpente, redibunt.
Nam quod in officio, rebus non ante nouatis,
Hac mansére tenus, pietas simulata, metusqúe,
Causa fuit, non fixa bonæ sententia mentis.

Nunc, velut è specula, euentum finemq́; tumultus
Montani opperiunt. ac te satagente quiescent.
Deside, seruitij rumpent retinacula ficti.
Eia age rumpe moras, intutaq́; castra, nec vllo
Quam subdifficili adscensu, munimine septa,
Agminibus præcinge tuis, pluteosq́; iubeto
Vimineasq́; iugis pariter submittere crateis.
Non equidem augurio fallor. terrebitur ipso
Adspectu, scelerisq́; sui sibi conscia, vero
Impia turba metu, sero cum rege Philippo
Rem sciet esse sibi. Nec te dubitauerit alto
Inspiciente tuus cliuo succedere miles.
Non obstricta tuis iurando iure tenetur
Legibus, alterius modo Lusitania regnum.
Si tamen hinc paucas in supplementa cohortes
Adscieris, iubeasq́; viros insistere monti,
Non ijs obstiterit vel formidata crepido,
Vel dorsi angusta fauces. hastilibus ibunt
Per latus infestis, & lubrica saxa pruinis
Concretis, scandent, vel si de monte reuulsa
Fragmina deuoluat, telorumq́; aëra turbet
Nimbo dira manus. tanta est fiducia genti.
Quum super hæc, contra genus hoc fataliter olim
Inueterato odio, & genio impellente feratur.
Ergo alacris, nec plus quam caßide tectus aëna,
Atq́; habili clypeo, nitetur ad ardua miles.
Quanto igitur pubes nunquam non fida tuorum,
In leges iurata tuas, iterataq́; verba,
Promptius id faciet? dum per latera hispida montis
Conatu egregio, contempta morte subibit,

Præ-

Præbebitq́ animi spectacula pulchra vigentis.
Ignorásne fidem per tot tibi bella probatam?
Ignoras gentis celebratum robur Iberæ?
Nec venit in mentem quantum tibi pareat orbis?
Quot populi extremis à Gadibus vsq; Pyrenen,
Signa sequuturi tua sunt, quum buccina pridem
Exacuet resides animos? te Cantaber audax,
Te durus Vasco, duplici te Celtiber ortu
Non segnis bellare manu, comitabitur. acreis
Vaccæos, clangente tuba, præsto esse videbis.
Armaq́ Memnonium expedient genus Astures. illis
Sponte sua iunget Gallecia fortis alumnos
Vertere terga fuga indocileis. dabit impigra Vetto
Gens alacreis cuneos, neq; Carpetania deerit,
Turdulus vnà aderit celer, & pugnare parati
Bæticolæ. atq; alij. centum quibus adde dynastas,
Adde toparcharum numeroso examine turbam.
Adde sacros equites, generosum robur, & vna
Pontificum albatas sacro gestamine turmas,
Vexillo præeunte crucis. tibi fausta precati
Pontifices ipsi, tibi tot legionibus aucto,
Quas inter, volitans frater, cui nobile fecit
Austria cognomen, ductor fidissimus, ibit,
Poplitibus flexis Hispania supplicat, vno
Consensu, vt spreta de relligione sacrorum,
Atq; eiurata pœnas de lege reposcas.
Nomine rex Macedum quo tu adpellatus, Achææ
Quum libertati insidias longè ante pararet
Non intellectas, Cadmææ stirpe vocante,
Pollutam contra direptis Phocida Delphis,

nam, omniumq; vicem suppleſſe. Et ſanè perpulerunt facile nō inuitum. Acceſſit venerabilis patris Franciſci Forrerij Prædicatorij inſtituti prouincialis præfecti, cū voluntate auctoritas. A quo quū editionis permiſſionē peterē, vt ea carmina præmitterē, nō parū aculeatos ipſe quoq; iniecit ſtimulos. Faciat Deus, vt quemadmodum tui te in oculis geſtamus, ſic viciſſim tu Rempub. tuam ita geras, vt quem nunc non modo quaſi Regem cui fideles eſſe tenemur, ſed quaſi filium cariſſimum diligimus, poſthac vt patriæ verum parentem admiremur, atq; vt miraculo diuinitus datum, nobis certo certius perſuadeamus.

SEBASTIANO HVIVS NOMINIS PRIMO, LVSITANIAE REGI, AFRICO ATLANTICO, AEthiopico, Arabico, Persico, Indico, Traprobanico, L. Andr. Resendius. S. D. humillimè.



EGNI delicium, Sebastiane,
Regum flosculе, quotquot aut fuêre,
Aut sunt, aut alijs erunt in annis,
Rex diuinitus impetrate votis,
Et crebris date lacrymis tuorum,
Ac luce orte bona, boniq; diui
Lucescente die auspicate vitam,
Rex & Lusiadum tuorum ocelle,
Et spes vnica, quuius expetita
Regni vertitur in salute cardo,
Quuiusq; ingenij indolem stupemus,
Et læti omine, gloriamur omnem
Persuasi patriæ beatitatem
Venturam duce te, statumq; rerum
Florentem, incolumemq; publicarum.
Si quantum omnipotens tibi architectus
Almæq; arbiter vniuersitatis
Prona contulerit benignitate,

Expendas animo sagaciore,
Sanè comperies in omne tempus
Te cœlo, superisq́ debitorem.
Nam quum nos patriam in tui parentis
Fato præpropero, nimisq́ sæuo,
Elatam gemeremus, & calenti
Nondum de tumulo reuerteremur,
Post non iusta soluta iusta, quumq́
Rerum suspicio palam nouarum
Menteis iam prope perculisset istas,
Illas ambitiosius fouêret,
Optatum caput ortus extulisti,
Cui contradita mox fuêre, cunas
Inter, sceptra loco crepundiorum.
Hoc ceu munere numinis potestas
Lamentabile funus expiaret.
Adde his, quod tua partui propinquum
Dum gestaret onus puella mater,
Nequaquam est sita coniugem videre,
Leti ad finitimas foreis cubanti
Nullam iam medicina opem ferente.
Ne siquid graue contigisset, ipsa
Consternatio fœtui noceret.
Fallebantq́ diu anxiam ministra
Falsa in gaudia vultibus coactis.
Personamq́ hilari, ægrimonia hausta,
Rex sumens auus, ad nurus itabat
Spe firmandum animum atq́ leniendum,
Fomentis quibus ipse egebat, orbus
Post tot depositas subinde proles.

Quid

Quid reginam auiam loquar, medullis
Telum vulnificum intimis tegentem,
Aduersus violentiam doloris
Composito potuisse & obstinato
Vultu adsidere, scireq́ expetenti
Dilectusne valêret, adnuisse?
Verum sensit enim sibi misella
Dudum verba dari, pieq́ acerbi
Celari interitus atrocitatem.
Et regum reuerentia obsequundans,
Assiduo quasi sensuum stupore,
Iuvenas reuocauerat dolorem,
Cui, nec vel gemitu, exitus daretur.
Sic intus miseram exedente luctu,
Quum soluendi vteri adpetisset hora,
Obluctans duplici heinc & inde morbo,
Ac impar cruciatibus putata,
Conturbauit & aulam, & vrbem, & omneis.
Ergo ad numina comprecanda versi,
Decreta ordine supplicatione,
A primis tenebris, profundum ad vsq́
Noctis concubium, igniumq́ cœli
Summo à culmine demeationem,
Delubra omnia, praestitesq́ diuos
Praesumptis adeunt petuntq́ votis.
Nox funalibus est propulsa crebris,
Crebris pontificum choris petentum
Pacem de superis benigniorem,
Responsantibus vsquequaq́ turmis
Flentum supplicibus, resultat aether,

Aduersusq́ dei minacis iram
Pugnatum precibus. Stetit flagellum,
Expugnataq́ numinis voluntas.
Vix Thitoma currui iugaleis
Adfrenabat equos, leuata partu
Regina incolumi, puerperiq́
Ergo dedoluit parumper. ipse
Formosus simul, & simul verendus,
Ac iam tum roseum exserente vultum
Cum Pallantide conferendus ipsa
Prodisti, ex vteroq́ prodeunti
Clarus martyrio Sebastianus
Ambas supposuit manus, meusq́.
Certè hic, dixit, erit peculiaris,
E tot regibus ante qui fuerunt
Primus nomine de meo vocatus.
Firmauitq́ fidem tribus sagittis,
Quas vt mnemosynon sui reliquit.
Quæ tunc gaudia? qui triumphus vrbis?
Quot templis merito sacrati honores?
Quot pacalibus hostijs litatum?
Quot Diui impositæ arulis coronæ?
Quæ suffimina? quot soluta vota?
Iam solatiolo voluptuoso
Hoc gaudebat auus, repensa ducens
Turba funera filiorum adempta.
Nondum firma solo sola imprimebas,
Vixq́ ad dimidiata verba blasum
Os effingere, balbulus facete,
Cœptabas, & identidem ad papillas

Nutri-

Nutricisq; tener sinum redibas,
Pensum lanificæ vltimum sorores
Nentes regis aui, scidêre acuto
Scalpro stamina, subrutamq; pilam
Inniti cui sueueramus, ipse
Tandem præcipitem, graui ruina
Nostra, vidimus, & facem nefastam
Sopitam insidijs nigræ fauillæ,
Immitis Libitina ventilauit.
At Mens prouida quæ gubernat orbem,
Vere Iuppiter, haud adulter ille,
Sed qui nos alit, & iuuat, paterno
Plusquam more, per omnia, omnibusq;
Interfusus, & insitus creatis,
Qui cuncta ante videt, regitq; fatum,
Momentis genitalibus tributum,
Quum te ad magna vocet, nec id latenti
Nutu, sed quasi prædicante cœlo,
Infantem, fragilem, insciumq; rerum,
Te non deseruit, manuque ductat
Miri sedulitate pædagogi.
Nam quum protinus ordines coissent,
Ad dextræ oscula, gentis instituto,
Sacramentum animo ilicet lubente
Adcepêre tuum, tibi vniuersi
Adfusi, ac genibus palam minores.
Ipse autem solio aureo locatus,
Auro conspicuus, quid esset actum
Nec scibas, neq; dum sinebat ætas.
Hæc si præsius æstimes, putésq;,
Vt

Vt sint maxima, non minora duces
Quæ posthac cupio auribus tenellis
Instillare tuis tuus poëta
Væ terræ, sapiens Hebræus inquit,
Rex cuiuius puer est. quod aut pusilla
Ætas consilio pari gerendis
Rebus deficitur, parumq́ cautam
Harpyiæ vnguibus inuolant in aulam,
Aut fæx publica per licentiosa
Interregna sibi viam patêre
Tunc existimat ad cupiditates,
Et quum seditionibus iuuetur,
Cladem infert patriæ, & trahit ruinam.
Nobiscum melius supernus egit
Rector, quando auiæ, simulq́ magno
Tutela patruo data pusilli,
In leges populi tuæ adacti,
Non solum sine contumeliosi
Motus suspicione continentur
In sancti officio fidelitatis,
Exoptantq́ diem vidêre lætum,
Quum te concilio celebriore
Et maioribus editum theatris,
Sacro carmine, cæremoniaq́,
Vnctum Pontifices inaugurabunt,
Ac gemmis radiantibus coronam
Imponent capiti, tibi adprecati
Et vitam, & sapientiam auctiorem,
Verum & tempore tam periculoso,
Exardentibus heinc & inde sectis,

Nil

Nil de relligionibus nouarunt,
Nec cultum veterem æstimant minoris.
At flamma volitante per propinqua,
Non adflarier, aut tumultuari,
Munus grande tibi datum exputato.
Et si respicias tuos ad annos,
Natales abiëre tres decemq́;,
Quinta exin trieteride inchoata.
Verum tu tamen antegressus æuum,
Incanam grauitate moribusq́;
Præfers aut mage præteris, senectam.
Vt felix liceat vocare regnum,
Sub te principe quamlibet puello.
Quæ cuncta attribui Deo necesse est.
Cui si gratus eris, piumq́; mentis
Præstes obsequium, eius vsq; & vsq;
Culturam studio augeas perenni,
Ac diuos merito colas honore,
In primisq́; tuum Sebastianum,
Si nullis aditum sinas patêre
Quos exotica disciplina fœdet,
Imo à finibus arceas tuorum,
Inq́; oras procul hinc malas relêges,
Si non imperio premas atroci,
Sed miti moderere principatu
Deuotas animas tuæ saluti,
Si sacro abstineas, manusq́; puras
Malis tollere, quam reas, ad ipsa
Puluinaria quum precatum adibis,
Et si strenuus Africana bella

Iam

Iam nunc parturias, trucesqúe tandem
Frenaris Numidas superbienteis,
Quorum myriadas decem cecidit
Gens nuper tua. quum satis proteruo
Arcem præsidiumqúe Mazagani
Obsedêre animo, & tremenda bella
Gesserunt, animosius ruentes.
Virtute egregia tamen repulsa
Per certamina, tertiaqúe parte
Multata, obsidium fuga leuarunt.
Horum si reprimas vagationes,
Pulsosqúe interius, super Nigritas,
Indicto subigas graui tributo,
Si quaquumq; plaga patent eóa,
Quos nondum domuêre bella reges
Submittant tibi cernui tiaras.
Hæc si præstiteris, vt auguramur,
Tum te cœlicolis parem beatis,
Et magno proauo beatiorem,
Heroas super inclytum vetustos,
Quorum fama decus memor sacrauit.
Quem nec de Semele in femur parentis
Translatus, neq; Syrtici Tonantis
Mentitus genesin, nec ille pulsor
Monstrorum, Ioue quem satum vetustas,
Structis insidijs toro pudico,
Alcmena genitrice, fabulatur,
Conlati æquiparent, nec adsequantur.
Et quem quotidie nouis triumphis
Adfectum, ac spolijs, adoreaqúe,

Matu-

Matura Deus aduocet senecta,
AEuis posterioribus loquendum.

PHILIPPO, HISPANIARVM REGI MAXIMO.

I. ANDR. RESENDIVS
Lusitanus.

Forsitan arguerit quisquã hoc, excelse Philippe,
Quod pede me moduloq; meo non metiar, ausus
Musa inopi pulsare tui fastigia summa
Culminis, ignotus tibi, nec de sorte tuorum.
Si tamen expendas animo rem pressius, atq;
Maternam gentem, & consanguinitate propinquos
Lusiadum reges, iam non alienus habebor,
Quantumquumq; rudis vates, & acuminis exsors,
Nec terso eloquio, numeris nec molliter inter
Sese connexis. Quod non admitto grauate.
Non externum igitur, licet ignotum hactenus, audi,
Si nec inutiliter te compellaro, nec aureis
Non opportunis tibi nunc onerauero dictis.
Res à te gestas praeclarè, & bella sub Arcto
Continuata diu gelida, Gallosq; feroces
Fortiter, èq; tua retro ditione repulsos,
Belgarumque graueis de relligione tumultus
Marte & consilio exstinctos, domitamque superba
Perfidiam secta, puritaq; crimina digno

Sup-

Supplicio, iustaq; nefas mercede piatum.
Et memini, & seclis mandabit fama futuris.
Sunt hæc magna quidẽ, sed enim maiora supersunt,
Quæ nisi perficias, minuisse videbere prima.
Treis si contentus bene digeßisse poëta,
Inde remisso animo quartum dormitet ad actum,
Fautricis caueæ murmur, plausumq; theatri
Exspectet frustra, frustra, Vos plaudite, cantor
Inculcet decies, non respondente corona.
Tu quoq;, cuiius item vita est exposta theatro
Non tantum Hesperiæ, sed quà sol vergit ad Austros,
Aduersosq; subit propiori luce triones,
Prodisti in scenam. partes feliciter actæ
Sunt aliæ, extremam tandem modò postulat vsus.
Quantum armis actum est, tua quod sapientia terris
Contulit, hoc vno, tibi quod nunc restat agendum,
Altius adcrescit, contra, depletur omisso.
Ne te detineam, pacem connubia nobis
Gallica præstiterant, duo nunc amplißima regna
Exstinctis odijs, optata pace fruuntur.
Quid prodest, si regna domi impacata relinquas?
Impia posteritas Maurorum, opulenta potentis
Granatæ, qui sceptra diu tenuere, nefandam
Post cladem quam passa tua est Hispania quondam,
A proauo deuicta tuo, permissaq; leni
Imperio sibi habere domos, sibi prædia, & hortos
Fontibus irriguos, vitreo vel Singilis amne,
Perq; salutiferos monitus, posuisse lauácro
Purificante, luem veterem iam credita, iamq;
Æquo iure pijs intersita ciuibus, arma

Capit, & in montem signis fugitiua Niualem,
Qui, quondam Illiberis vestigia prospicit vrbis,
Extentis secessit, vbi regemq; creauit,
Celatumq; nefas bello patefecit aperto.
Dissimulata diu sanioso struma veneno
Disrupta est tandem, fluit exitiabile virus,
Perniciemq; tuis casumq; minatur Iberis.
Arma Philippe, cape arma, sagis bombycina cedant,
Ad saga te res ipsa vocat. non ludicra bella
Esse putes. valida aduersum coiere cohortes.
Exspectásne suis donec Maurusia pestis
Auxilio veniat? breue quæ vix amplius hora,
Traijciatque fretum, Calpetanumque per vmbram
Obcupet insidijs litus? non Munda vacillet?
Non Malacitanum feriat trepidatio portum?
Num non exemplo simili turbabitur Accis?
An Bastetanis ad res heinc ansa nouandas
Non dabitur? dubias nec spes Illurco fouebit?
Impelletne parum tacita exspectatio Murgin?
Ad portum Asdrubalis num non cognatio Pœnos,
Conditor, & patrio dictum de nomine nomen,
Commoditasq; loci non inuitare videntur?
Quin quaquumq; mala de stirpe, vbiquumq; super-
Relliquia, veluti rediuiuo germine radix (sunt
Non runcata satis pergit fruticare, saliuam
Ad veterem obsceni cultus, nisi sedulus instes,
Et ferro obcurras, morbo serpente, redibunt.
Nam quod in officio, rebus non ante nouatis,
Hac mansere tenus, pietas simulata, metusque,
Causa fuit, non fixa bona sententia mentis.

Præbebitq; animi spectacula pulchra vigentis.
Ignorásne fidem per tot tibi bella probatam?
Ignoras gentis celebratum robur Iberæ?
Nec venit in mentem quantum tibi pareat orbis?
Quot populi extremis à Gadibus vsq; Pyrenen,
Signa sequuturi tua sunt, quum buccina pridem
Exacuet resides animos? te Cantaber audax,
Te durus Vasco, duplici te Celtiber ortu
Non segnis bellare manu, comitabitur. acreis
Vaccaos, clangente tuba, præsto esse videbis.
Armaq; Memnonium expedient genus Astures. illis
Sponte sua iunget Gallecia fortis alumnos
Vertere terga fuga indocileis. dabit impigra Vetto
Gens alacreis cuneos, neq; Carpetania deerit,
Turdulus vnà aderit celer, & pugnare parati
Bæticolæ. atq; alij. centum quibus adde dynastas,
Adde toparcharum numeroso examine turbam.
Adde sacros equites, generosum robur, & vna
Pontificum albatas sacro gestamine turmas,
Vexillo praeunte crucis. tibi fausta precati
Pontifices ipsi, tibi tot legionibus aucto,
Quas inter, volitans frater, cui nobile fecit
Austria cognomen, ductor fidissimus, ibit,
Poplitibus flexis Hispania supplicat, vno
Consensu, vt spreta de relligione sacrorum,
Atq; eiurata pœnas de lege reposcas.
Nomine rex Macedum quo tu adpellatus, Achææ
Quum libertati insidias longè ante pararet
Non intellectas, Cadmææ stirpe vocante,
Pollutam contra direptis Phocida Delphis,

Arma tulit, viridiq; comas connectere lauro
Militibus, ceu pro violato numine vindex.
Imperat. Aoniis simul ac insignia nota
Offensi conspecta Dei, dilapsa repente
Lymphato rea castra fugam fecêre pauore.
Si tantum potuit iusti simulatio belli
Quod finxêre sacrum, facti si conscia turpis
Pectora relligio conterruit impia, nostro
Quid sperare decet bellum faciente Philippo
Iure sacrum? nonne impietas confusa timore
Torpebit? quum sancta oculos perstringet imago
Effigiesq; Dei? quum totis vndiq; castris
Audiet vltorem Christum clamore cieri?
Quum scelus admissum mens inrequieta reuoluet,
Quod ferrugineis Dirarum exercitus alis
Eumenidum, horrifico stridens ante ora sonore,
Obiiciet, stygiosq; acuet per castra latratus?
Nec, fugitiua tibi si quis plus efferat æquo
Agmina, propterea quod desperatio vireis
Addere consuerit, certiq; obcumbere, gratis
Non vincantur, eo quidquam moueâre. pusillis
Dixerit hæc animis. Palmam sine sanguine magni
Quamuis optarint, non æquauêre cruenta,
Bellona variante, duces. Tigrane fugato,
Millibus innumeris cæsis, inhonora putauit
Præmia se stragis tanta Lucullus habere,
Quod ferrum aduersus muliebreis pœne cateruas
Quæ tanquam lepores fugerent, strinxisse puderet.
At decus eximium Romana potentia partum
Credidit esse sibi, quum vix Hispania tandem

Fascibus immixtas agnouit victa secureis.
Scilicet huc spectat mos, & non vana Sesostris
Niliaci ratio, soliti quum bella gerebat,
In molleis populos, opera leuiore subactos,
Ludere fœminei per signa probrosa pudendi,
Pyramidum intersculpta notis, meliore figura
Significante mareis animos, & robora gentis,
Quam per discrimen Martis vicisse iuuaret.
Quanto igitur tibi nunc dubitatior alea belli
Fingitur instantis, tanto te inlustrior auo
Gloria victorem nullo interitura sequetur.
Te Deus omnisator, pro quo pugnabis, olympo
Astrifero excipiet, celsaq; in sede coruscum
Vernandos inter, bellatoremq; parentem,
Inter & heroas magna virtute, locabit.
Te bona posteritas mirabitur, atq; triumphum
Hunc, quoties latum reuehet lux annua Solem,
Grata canet, vatesq; tibi docta ora resoluent.
Certè ego, si quid id est, quod me non spernit Apollo,
Nec mihi cortinamq; Dei, tripodasq; mouenti
Surdus adesse negat, iam nunc Parnasia totus
Per iuga mēte feror, totumq;, quod vnguula prapes
Elicuit, flumen sitio, vt te carmine digno
Prosequar. aut dabitur mihi si non tanta facultas,
Officium tamen omne suum non nostra remittet
Calliope, studiosa tui. quantumq; valebit
Ingenio, quantum ore, nouos celebrare triumphos
Adparat, huncq; tuis impendere rebus honorem.
Quas si fortè minus potis est aquare canendo,
Saltem iter ingreßis, calcar melioribus addet.

AD SEBASTIANVM EXCELSVM LVSITANIAE REGEM EPIgramma.

QVæ sublimipetas frustrata est ardea nuper
Accipitres iterum rex animose tuos,
Victa dedit pœnas hodie, neq; celsa volatu
Nubila præsidio iam fuit ipse supra.
Vnguibus hamatis pectus laniata, deorsum
Cum clangore tuos corruit ante pedes.
Aucupij euentum rear hoc, casumúe, futuri
An magis augurium? credo equidem augurium.
Præpetibus nisi nulla fides, his, bella gerenda
Credimus auspicio significata tuo.
Quæ mandata tuus ducibus si forte moratus
Aut semel, aut iterum barbarus hostis erit,
Astra licet iactet, quibus euenisse putetur
Isthæc vincendi quantula quumq; mora,
Non tamen est semper fortunam habiturus eandem
Quin cadat, ac subdat colla superba iugo.
Id, tua quum superis iam sit victoria curæ,
Deiecta è cœlo præmonet ardeola.

L. ANDR. RESENDIVS, LVPO SCINTILLAE IVRIS CONSVLTO. S.

PRisca sub extremum redeunt Lupe festa Decembrem,
Saturno quondam, melius nunc virgine fœta,
Atq; Deo in terras se demittente beata.
Quam pote quisq; lareis ornat structuq; focisq;.
Huc carosq; suos bonus aduocat, huc & amicos,
Audet & à rigidis animum seducere curis.
Tu quoq; quantum vis vidui solatia lecti
Respuis, & caræ suspiras coniugis vmbram,
Non nihil à solito parcis minuisq; rigore
Sæuaq; clamosi nec te modo iurgia lassant
Diuexantq; fori, nec peruigilare clienti
Cogeris ante iubar qui limina pulsat eoum.
Quin potius lignis, quæ vos puto cocta vocatis,
Incensis, misces sancta cum matre, secundo
Quæ se connubio nunquam est persuasa iugari,
Colloquium, & dapibus quas mũditer ipsa parauit
Officiosa soror, mitiq; liquore Lyai
Otia læta teris: tum te lepidum atque lubentem
Parte facis magna, & blandis conuictibus aptum.
Atq; vbi gnatorum blæsum te cinxerit agmen,
Tu residens medius, quid garriat ille, vel illa
Disceptator eris, discordantumq; pusillas
Compones liteis, paruisq; quiritibus ingens
Romule iura dabis. Vel vbi iam ludicra pones

Imperia, à doctis oblectamenta Camenis
Docta petes, linguaq; sua cantabis Homerum
Delicias me teste tuas. sic ipse beatus
Intra septa domus, Lupe Saturnalia ducis.
Gratulor, & veniant posthac felicius opto.
At mea longè aliter versant modo fata sorores
Ludere tormentis solita nascentis ab auo,
Et crucibus gaudere meis. Cœnacula mitto
Leni fota pyra, mitto pictosq; tapetas,
Mitto penu, aut censu quæ ditiore parantur,
Atq; vaporatas tuccetis pinguibus offas.
Sit fortuna mihi minus inuidiosa, minusq;
Ambitiosa fames. Ne nunc licuisse meorum
Cum grege non magno mundos suffire penateis?
Nec nostro libare lari? men' lintre Tagana
Sub Ioue nunc lente noctem tolerasse meantem?
Inq; breui transtro niueis alsisse pruinis?
Me modo quum geminam longè Sol respicit vrsam,
AEgocerosq; pigro constrictus ab aëre sæuit,
Explicat algentis necdum sinuamina caudæ,
Ire redire vias? nec torpida membra tepore
Posse mouere, nisi mulam exonerar o subinde?
Et pedes ire parans, nunc per vitreata labascam
Terga soli, nunc se glacie soluente lutescam?
Sic ereptaui cliuum lapidose superbum
Ansidiane tuum, sic per sine sole molestos
Anfractus Tapiae tuos vergente senecta
AEger anhelaui, templi dum rite sacerdos
Iura mei repeto, mihi vi, mihi fraude, malisq;
Artibus interuersa, nefas. Nec plectitur audax

Illud adhuc facinus.leges & credimus vllas?
Vlla potestatum maiestas fingitur esse?
I, pete restitui per vim deiectus, opemq́;
Principis implora, totum augustale libellis
Conquute supplicibus,defer mandata senatus,
Ad genua inflatis pratoribus adcide,gnauo
Sternere causidico,scribis numerare memento,
Testibus inuigila, adcensis munuscula mitte,
Redde satellitibus loculis sua pramia fusis,
Acta tibi res est. Heu conclamata nefando
Terra latrocinio,heu regni deformis imago.
Quo mihi iustitia legumqúe vmbratile nomen?
Quóue magistratus per mille vocabula longo
Ordine lictorum circum stipariet,inde
Bissenos fasces,hinc ostentare secures,
Si scelera impunita manent? si prasìde legum
Conniuente datur noxis audacia maior?
Si qui in pestiferum caput anquisisse iubetur,
Innuit ille reo,fuge. si te indagine quaram
Hac,hac ipse late,memor euasisse periclum
Non leue, dissimulet quum te vidisse potestas
Lippa tibi,ingratum non prateritura futurum.
Dic sodes,titulo dic perfectissime prases,
Qua tibi sortito obuenit prouincia, pacto
Hoccine pacanda est? itan' expurganda malorum
Sorde hominum? Rides dudum Lupe verba procellis
Fundentem aëriis, & litora surda vocantem.
Mi tamen in sancto superat spes vna senatu,
Pracipuè quoniam de re cognoscit Areius
Integer & flecti per denia ferreus. Illo

Iudice non ibit noster spoliator inultus,
Seroq́; sacrilegum, vel pœna luenda sequetur.
Cætera si quæras, vt sustentamus, vt istam
Perferimus brumam, certe connitimur ægrum
Hinc stabilire animum, ne quo fortuna reflatu
Arguat asperior mollem, aut sapiente minorem.
Scilicet hoc nomen, neque dißimulanter, amamus.
Hinc mærorem adimunt, & curant corpus amici,
Dum breuis obtigerit cessatio, dumqúe subire
Pagorum veteri gurgustia subdita culmo
Causa minus cogit, datur & vitare tabernas
Cauponum immundas, ad quarum nomina nostrum
Nauseat ingenium, mensasq́; refutat orexis.
Quæ si conditio mihi sit diuturna, nec vllum
Præsidium superest in legibus, atque patrono
Te tali defensa cadat bona causa, quis vrbeis
Aut hominum cœtus persuaserit esse colendos?
Præstiterit multo in solas secedere terras,
Arbutaqúe, & glandes iterum adfectare caducas,
Siluiuagas interq́; feras habitare, nocenteis
Læsurasq́; minus. Nam si nulla inde daretur
Re potiore frui, vel commoditate, sat illud
Atque operæ sane pretium non vile putarem,
Quod neque rancidulis hircum ructantis apellæ
Vocibus ad stomachum bilemq́; mouêrer amaram,
Nec mihi pygmæi facies inhonesta gigantis
Conspicienda foret. nec putida verba ferenda
Vix meliore sono, quam quem cantherius edit
E pastu abductus, quoties nox roscida cogit
Non bene confectum per cluneis pedere gramen.

L. ANDR. RESENDIVS, LVPO SCINTILLAE IVRIS consulto.



ST Lupe quur vita pigeat minus, & minus aui
Me pudeat nostri, nõdum virtute sepulta.
Nam licet interitũ de morum strage minetur,
Qui pridem omnino possunt perijsse videri,
Non effœta tamen genitrix natura putanda
Est adeo, vt partu ceu debilitata frequenti
Gignere desierit. sed adhuc vestigia quædam
Mundi interlucent non adspernanda recentis,
Rara, & apud raros, prædensa vt sæpe tenébris
Nocte micant victis pluuijs ex nubibus ignes.
De reliquis taceo ablatis virtutibus orbi.
Nam neque nunc satyrã scribo, neq; carmina frustra
Disperdam, nigro vitia insectantia felle.
Illud agam potius, quo me gaudere professus
Ante fui, veteris quoniam simulacra supersunt
Virtutis, nostro quamuis rarissima seclo.
Quod prope desertum est, ac pœne recessit ab vsu
Numen amicitiæ magnum & venerabile quondam,
Quam prius infectũ est aurum ære, secundaq; vena
Duruit in ferrum, & similis producta propago,
Non semel indolui, simul indignatus amicos
Vtilitate peti, non de virtute parari.

Hac ne parte queat nostra infamarier ætas
Tu Lupe docte facis, qui quum sint omnia paßim
Cæco plena dolo, simulataq́, fictaq́, vulgo
Nunc huc, nunc illuc, pro re variantia in horas,
Virtutem ipse colis, priscaq́ exempla reducis
Sedulo amicitiæ. quod quum in me satq́, superq́ue
Experiar, quanto tibi sim deuinctus amore
Spero equidem in seros manabit fama nepotes.
Qualis in Antonij funeris modo funere mallem
Dicere, si fando non inferiora dolore
Suppeterent mihi verba, vado nec lingua nataret.
Cuiuis enim mentem non perculit ille senator
Interpres legum, quo nec præstantior olim
Scæuola Serbidius, grauior neque Caius ipse,
Nec melior clarum cui gens dedit Vlpia nomen,
Sic nec opinato medijs exstinctus in annis?
Curia quando parem depleta munus in vrna
Adleget, aut simili subsellia celsa prementur?
Quando alium posthac pudibunda modestia ciuem
Vndique limatis ornabit moribus æque?
At neque sollicitum quia te ægrotatio amici
Pallentemq́ue metu miserè versabat, & æger
Ægroto adsistens connitebare iacentem
Erigere adloquijs, ideo veriq́, boniq́
Explesti numeros. hæc signa fatemur amoris,
Sed translatitia, & pariter communia, rebus
Alterius de morte suis metuentibus, vnde
Emolumenta putant sibi mox peritura. sed illum
Quod tam sincere donec Lupe vixit amasti,
Commoda nulla sequens, nec spe fucatus hiante,

Verum animi ingenua quod libertate colebas,
Vnanimi vnanimis multum vtebaris, & vna
Consilia & curas coniungebatis vterque,
Atque ea ter denos coniunctio creuit in annos,
Elati feretrum nuper quod ponè sequutus,
Tu genitor, tu frater eras, tu denique mater
Cunctorumq; vices peragens, humentia nobis
Lumina cogebas fletu vberiore madere,
Et quod maiorem moriens Antonius à te
Partem animæ secum abstulerit, quod mortuus in te
Viuit adhuc, viuetq;, tibi dum vita manebit,
Id merito admiror, laus hæc tua magna, tuumq;
Tempus in omne decus, iucundaqúe nostra voluptas
Hinc oritur. valeant grandi celebrata cothurno
Nomina Pirithous Theseusq;. valebit Orestes
Cum Pylade, & si quos vatum fauor euehit vltra
Quam par ad superos. Antonius & Lupus inter
Inlustreis meliore nota scribantur amicos.
At mihi, qui vobis fueram modo tertius, & quem
Sponte tua ambisti, meritóne secusne, videbis
Ipse, sed ambisti, magnum pietatis honestæ
Adcreuisse puta cumulum, quem forte negabam
Surgere posse magis. quare pergamus, & istum
Inuitis fatis virtuti habeamus honorem.
De me hoc polliceor, tecum mihi viuere dulce
Tecum dulce mori. sin seiungemur vtrimq;
Ac te vasta foro moles retinebit Olyssis,
Scallabin aut potius rupta meditare catena,
Mêque Bona Vallis mea villula, fonsq; perennis
Suscipient reducem, quo vel mihi bina remoto

Millia ab vrbe mea liceat prouoluere chartas
Interpellantum sine turba, aut condere versus,
Seu vitire, noua siue insitione domare
Arbustum infelix ad non sua poma ferenda.
Denique quos tractus, ad quas procul ibimus vrbeis,
Ipse ferere simul mecum, simul ipse manebo
Quo fueris tu cumque loci. non clauditur vno
Angustata loco dilectio vera, per ampla
Interualla, animi concordia iungit amantes.



L. ANDR. RESENDIVS, PETREIO SANCTIO.



I mihi tam vario fluctet mens deuia sensu,
Vt nihil, aut multum, vel fata, vel astra vererer,
Non erat in partē valida ratione labantem
Alterutram firmasse parum, pectúsue sub vna
Cogere lege vagum, siue hac, siue illa probaret.
Nunc, tua musa potens, tua me facundia Petrei
Non modo ad alterutrum, quod niteris ipse, reducit,
Verum etiam per vtrumque rapit, quo dißita longè,
Imo infesta sibi, secúm pugnantia, credam.
Nam tua quum stupidus demiror carmina, mello
Inlita Musæo, fatum quibus adseris, omni
Contempta id ratione probo, tribuoq; malignis
Sideribus patimur quæcumq; incommoda vitæ.
Quum rursum expendo tua carmina, quæq; malorū
Exempla adduxti, qui nunc plerisq; videntur
Viuere felices, certè vel honoribus aucti,
Vel magnas emersi ad opes de sordibus imis,
Socraticum moueant stomachum, bilemq; ciebunt,
Hæc ego quum expendo, nec fata, nec astra putare
Esse aliquid, nec posse, libet. quin omnia casu
Fortuitoq; geri, nisi relligione mouerer
Pœne mihi mendax Epicuri suaserit error.
Siue etenim connexus ineuitabilis inter

Se se causarum, fatum est, cui prouida summi
Mens rectoris adest, dignis contingere digna
Debuerant. siue est astrorum adfectio tantum,
Inter vtrosq; nihil certè differre decebat,
Vt quemque exciperent horis genitalibus astra.
Nam quæ sit tam læua boni mens numinis, aut quæ
Factio tam peruersa poli, vt coniuret in vnos
Quos apud omne poli sine numine degitur æuum?
Quare ego nêue Iouem, nêue astra expertia culpæ
Arguerim, adducor potius fatum omne negare,
Quæque sub ætherei contingunt fornice templi
Improuisa geri, saltem neglecta, putare.
Sed quia nos alio maiestas numinis vrget,
Nil sanè fieri quod non prouiderit ante,
Quam fieretque prius longè, mens dia, fatemur.
Et rerum seriem primo quas nexuit æuo
Non ego solicitus Petrei vexabo, nec illum
Quur ditet, me non ditet, iam quærere pergam.
Quamquam perfacile est, nec enim de vate petendum
Tiresia, nouisse mali quibus artibus vsi
Rem faciant, ecqueis sese rationibus aulæ
Insinuent. id si dubites, sic adcipe. mêque
Tiresiam esse puta. caue ais arcana mouere.
Nam nec apertum hominem, nec apertos tristia mores
Tempora nostra probant. quibus, vt nil durius addã,
Tetra per omne genus regnat simulatio. quamuis
Nocte olidum vexes scortum, totumque lupanar
Incestes, si luce deos & templa fatiges,

Atria

Atria per, rigida si de virtute loquaris,
Pallia demittas; tristemq́; á fronte cucullum,
Quur erit Hippolytus te castior? omne salacis
Abstulerit caudæ vitium sanctissima lingua.
Quuiusq́; arbitrio quam si moderére, licebit
Ipse tuo viuas tibi; quem liberrima bilis
Moribus infensum fictis facit esse, periclum
Fortè creet commota grauis, nec naribus apta,
Nec stomachi Camarina tui. bene consulis hercle,
Et rectè. idq́; sat est, quod planè intelligis ipse
Quos cassos virtute vides opulescere, nullis
At tibus ingeniis, nulla probitate, nec vllis
Adnisos meritis, verum ratione pudenda
Peruenisse ad opes vt si tibi Iuppiter aiat,
Adcipe tantundem, decies imo adcipe plura,
Et fac quod faciunt, iubeas procul ire cinædum
Incoruosq́; crucemque Iouem, faciemq́; monentis
Conspuites, medio protenso turpiter vngue.
Ad fatum redeo. & fatum tibi credere Petrei
Posse aliquid, multūq́; libet. nec quē astra maligna
Nascentem oppressère, negem plerumque solere
Moribus, ingenio, facie, re, denique fama
Læua adflictari, tamen, vt nonnulla voluntas
Libera vel mutet, vigilans vel corrigat. vnum
Scire ex te cupio, quur tu mea fata sinistra
Dixeris. anne ideo quod non sum magnus in aula,
Sed spretus iaceo? cursum fortasse peregit
Nostra suum fortuna, duûm post funera regum,
Ignea quos virtus cœlestibus addidit, ipsis
Post merita, ante diem nobis: quibus otia raptis

Emeritus non grata tero. donandus eisdem
Nempe superstitibus rude iam meliore. tametsi
Spem frustratam animo tam non toleramus iniquo,
Vt cupiamus adhuc iterum pressare superbo
Libera colla iugo. præsertim quum neq; desit
Qualiscumq; mihi victus quæsitus honeste,
Nec Pollentino de vellere pænula. namque
Nil opus est Canusina mihi textrina laboret.
Tu tamen, atque alij similes tibi, fertis acerbe
In re quod tenui modo sim, despectus ab aula,
In qua prima terant vmbræ subsellia viles.
Dic quæso, mala fata mea hæc tu reris, an aulæ
Pessima fata, malo sese dedentis abusu
Ludibrióque premi? dicam fortasse superbe,
Sed tam submisse nullo me tempore gessi,
Tam sensi abiecte de me, quin plura putarem
Regibus auratis bona, me præstare fideli
Posse ministerio, mihi quam largirier ipsos
Pro libertate erepta, post leuia canis
Tempora deciduis, adcersitamq; senectam.
Nam quid præter opes, varieq; iocantis inanem
Fortunæ strepitum tribuent? quo nulla voluptas
Sit vitæ sincera meæ, titubantis ad omnem
Inuidiæ motum, suspectaq; dona timentis.
Quæ contra me posse illis dare glorier, audi.
Aut ego consilijs fidus operaue, iuuabo
Nutantem Priamum, facienda, cauenda, monebo,
Aut Anchisiadæ Troia comes ibo ruente,
Scurrantum insidias retegam, moderabor Iuli

Inge-

Ingenium tenerum, tenerum os, linguamq́ polibo.
Denique heris praestabo meis, quod praestitit olim
Siue Maro Augusto, seu libertinus amico
Tusco equiti Flaccus. confer nunc vtraq́, meq́
Fatali opprobrio natum melioribus astris
Exime, quantum vis durum vocet aula poëtam.
An me Rufinum pinguem, elumbemq́ Batillum
Esse Petrei malles, quorum stomacharis & aegro
Fers animo, passim relegi, passimq́ probari
Carmina, verborum grauius foetentia merdis?
Indignêre minus, si mente reuolueris aequa
Panacicuticinem calamis stridentibus olim
Deliacae latum ante lyrae, non iudice Tmolo,
Sed stolidi sermone Midae, quem barbara canna
Deliniit magis artifici quam pollice nerui
Molliter increpiti, neruosq́ mouentia plectra.
Si mea despiciunt docti, si carmina pango
Quae sua non mallent Rufinus, & ipse Batillus,
Talia si mea sunt reliqua, vt conlata pudore
Auctorem adficiant, genesi me crede grauari.
Sed non obscurum est, per quos, quibus vndique nobis
Molibus oppositis via praecludatur ad aulam,
Quamq́ palatini, ne cognoscamur, aperte
Vulturii satagant, religata hinc inde phalange.
Quumq́ opere id tanto caueant, quid apertius? vllis
Testibus vtendum potioribus esse putabis?
Adspice nunc contra, quam sim felicibus ortus
Sideribus. quum me tenuis fortuna parentum,
Et mediocre genus, nec paupertate notandum,

Sed neque diuitijs tumidum, secreuerit imis,
Non tamen æquarit supremis, more recepto,
Multi me reges, multi nouêre dynastæ,
Multorum conuiua fui, dextrasq́; tremendas
Non trepidante manu tetigi, submissaqúe forti
Culmina celsa humili stipui, adpellatus amice.
Quin neque tam nostrì est nos auersata voluntas
Cæsaris, vt non sæpè animo rogitare benigno
Ex ijs qui norunt, soleat, secessibus istis
Ecquid agam? vt viuam? chartis num plurima mandem?
Expende vlterius, liceat mihi vera profari,
Num quis Lusiadum scriptis sit notior alter,
Siue per Italiam seu qua Germania vastos
Funditur in populos, triplici vel Gallia regno.
Atque vt ne patrijs excedam à finibus exsul,
Vt Duriôque Tagôq́; meo contentus, Anâque
Esse velim, de quo vel opinio latius errat?
Longius it nomen? celebris vel fama vagatur
Procurata parum, nullamq́; extorta per artem?
Cuius amicitiam plures cupiuntúe, petuntúe,
Doctorum è numero? sed ne ambitiosius, atque
Amplius extollar, mea quam natura, meaque
Hactenus exactæ vitæ modus exigit, illud
Prætereaq́; nihil dicam. Quod diligis ipse,
Quod laudas; nec habes post ditia dona potentum
Hæc licet à duro tibi carmina missa poëta,
Et tecum sentit frater quod Sanctius vna,
Albius vna etiam, vir quo non natus Ibera

In terra melior, nec amari dignior alter,
Id facio tanti, magnorum vt fata nec vnquam
Pratulerim regum, nec sidera diuitiorum
Exæquem nostris, pariter nisi nostra coirent.
Quod si decidenda mihi, aut deplenda fuerunt
Fata, vel admixtu diuersi sideris vllo,
Vel quia non tulerint ita consatalia, meq;
Conditione vetant fieri omni ex parte beatum,
Mercurij leuis hora mei quum parte iuuetur
Dexteriore Iouis, patiar Iouialia cuncta
Consensisse minus, minus adfulsisse. tametsi
Vt breuiter dicam, modò ne mihi vita pudori
Sit mea, vel tristi Saturni exercear astro,
Vel grauis AEgoceros, vel agat me Scorpius atrox.
Pauper ero felix. nam quem spoliaris honestis
Artibus, Attalicis Lydas super addere gazas
Vt queat, hunc Anyti reus infelicibus addit.
Ergo malos quam vis qua vis dominentur in aula,
Quam potes inuidia exonera. peioreq; natum
Te fato meque esse, caue ratione magistra
Credere persuasus; nec nos prægressibus vllis
Causarum, æternisue putes tam nequiter vnquam
Nexibus vrgeri, vt nostram mutare velimus
Paupertatem opibus horum. quos Iuppiter ortu
Si respexit, eat. decies respexerit inquam,
Dum virtute vacent. sine qua, Venerisq; Iouisq;
Nil moror astra, animi non depellentia morbos.
Quæ nostrum vsque adeò firmat sententia pectus,
Vt si per Samij deliramenta sophistæ
Informas alias, & quæuis corpora possem

 Arbitrio

Arbitrio migrare meo, tum iustius illud
Optarem, potius fieri porcusúe, canisúe,
Ignauusúe asinus, seu deniq; musca, culexúe,
Quam diues non more probo nec legibus æquis,
Sed de fraude potens. quem si solertia nequam
Conspicuum vulgo faciat, tantumq; secundum
A superis, tamen interius furiale flagellum
Sentiat, & tacite scelerum carpatur erynni.

Eboræ, nonis Maij.
M. D. XLII.



L. ANDR. RESENDII LVSITANI EPISTOLAE HISTORICAE.

L. ANDR. RESENDIVS, Ioanni Vasæo viro doctiss. S. De AERA Hispanorum.



CIrciter Cal. Maias, Vasæe, litteras tuas adcepi, datas Nonis Februarij Salmanticæ. Adcepi autem Conimbricæ quo me Regia auctoritas, ita enim blandiri mihi malo, quam vim adpellare, transtulerat, hoc est, ab honesto, & quieto otio, in negotium turbulentissimum, à musæo in pistrinum, vbi sine vlla intermissione defatigationũ est molendum. Nec satis scio quid conquerar, neque quid non conquerar, nisi quod hoc, quicquid est, irato meo genio mihi contigisse certo ego scio. Non igitur vacauit, immo ne nunc quidem vacat, postulationi tuæ adcuratius paulò respondere, vti amico amicum par erat, tamen nonnulla ex parte satisfaciam tibi. cui equidẽ semper ex omni, pro tua in me beneuolentia, studui

ſatisfacere, ſcito me de *AEra* nihilo plus cogniti, nihilo plus comperti habere nunc, quam habuerim tunc, cum, de ea re præſens mecum egiſti. Neque ego de initio eius loquor. Nam ſatis manifeſtè adparet, incepiſſe eo tempore, quo ex partitione Triumuirali vtraque Heſperia Octauio ceſsit, poſt annos quatuor quàm eſt interfectus C. Cæſar. Loquor autem de origine tantum vocabuli, vnde videlicet *AEra* nominetur, quæúe nominis eius cauſa fuerit. Nam quod alij ab *AEre* dando, id eſt, à cenſu, qui Auguſti indictione ſoluebatur, *AEram* nominatam arbitrantur, nó admodum probo. Multo etiam minus, quod alij ab *hero*, id eſt, *domino heram*, dici volunt, quaſi *dominationem*. Commentum autem Geneſij Sepuluedæ, quo ex compendio ſcriptionis A. E R. A. Cæſ. id eſt, *annus erat Auguſti Cæſaris*, feciſſe imperitos *AEram* Cæſaris, nobis nititur perſuadere, fateor, non ſine admiratione, propter hominis eruditionem, legi: libenter enim ab illo quærerem, cum litterarum illarũ compendium exiſtimet ſcribis tantum fuiſſe cognitũ, quaſi eſſet ſimile illi Hebræorũ elementorum arcano quod apud ipſos *Cabala*, nominatur, aut Hieroglyphicis notis, quibus vetus AEgyptiorum obducta implicataque erat ſapientia, quarum miniſteria, quum ſolis eſſent cognita ſacerdotibus, à patribus ad-

cepta

cepta quasi per manus posteris proderetur, an magis compendiariam istam formulam etiam in vulgus emanasse arbitretur. Huic parti si, vt doctum facere æquum est, adsentiatur: respondeat, quonam tempore Hispanos autumet in tantam animi, vt ita loquar supinitatem deuenisse, stantibus nec adhuc in Hispania Romanis rebus, ac vigente Imperio, an posteaquam conlabi ad Gothorũ irruptioné cœpere? florentibus rebus id fieri nunquam potuit, cum latina lingua multum non Romani modo, qui in Hispania erant, sed ipsi etiam Hispani vterentur. Ad hæc, cum Hispania primum in prouincias duas, hoc est, citeriorem. & vlteriorem, deinde in tres, Tarraconensem, Bæticá, & Lusitaniam esset diuisa, tum deinceps. propter magnitudiné diuisa trifariam, Tarraconensi, Gallecia facta sit quarta, Carthaginensis verò quinta, vt scribit ad Valentinianũ Sextus Rufus, nec ibi finis, sed diuisa quoq; Lusitania, sexta numero cœperit esse Vettonia, atque hæ omnes prouinciæ, siue consulibus, siue procoss. siue prætoribus, siue proprętoribus, siue præsidibus, siue legatis regerentur: præterea scribis, legistis, tabularijs, tabellionibus, hominibus vel Romanis, vel certè Romanæ linguæ peritis, plenæ essent etiam vsque ad tempora Maiorani Cæsaris, qui regnare cœpit circiter annũ seruatoris

nostri CCCC.LXXII. consentaneum profecto nó est, ignorasse eos vim harũ litterarum A.ER. A. si autem, postquam in Hispanias Gothi inuaserunt, id accidisse dicat, rursus quærerem, subito ne id, an paulatim potius? subito ac repente exstinctam fuisse notitiam illorum verborum, quibus tam frequenter in tabulis vterentur, persuaderi ego nó possum, nisi me doceat Genesius, lethargo fuisse tũ simul correptos Hispanos omneis. Paulatim euenit, inquiet. en rursus eodem luto, in eadem hæremus salebra, vt nimis sanè videatur esse mirum, vix centum annorũ interuallo, in tantũ rem obsoleuisse, vt etiam ad Leandrũ illum, acadeò Isidorum, multæ tum eruditionis, tum diligentiæ hominem, vulgatissimus quatuor illarũ intellectus minimè perueniret: vt concilia vetustissima, nempe Bracarense primũ, AEra DCX. & Hispalense prius, Aera. DCXXVIII. celebrata prætermittamus, vt prætermittamús etiam & veteres in saxis inscriptiones æra. DX. & DXX. & DL. factas, hoc est, sub Anastasio, & maiore Iustiniano. sed quid? quod sub Arcadio, & Honorio circa annum nati seruatoris CCCC. integris etiam dum, aut certè minima ex parte adcisis in Hispania rebus, Diuus Faustus Regiensis in Gallia Episcopus, scriptor satis luculentus, æræ vtitur vocabulo? Quuius verba priore de Spiritu san-

tu sancto libro, ita habent. *Sacer autem numerus diximus, quia trecenti in æra siue supputatione, signum crucis: decem & octo verò, Iesu adorandũ nomen ostendunt.* Quibus ego verbis partim, partim etiam ipsa ratione adducor, vt credam, neq; ab *AEre* dando vocatum, *AEram* vt putauit Isidorus, neq; ab *hero heram* vt somniant nonnulli, sed simpliciter à nota numeri quod æra, sit nota vel supputatio vt Faustus interpretatur. Ad quam rationem Alphonsus Hispaniarum rex suam temporum supputationem *AEram* adpellarit. si quis autem roget, satis ne id latinè? respõdebo Nonij Marcelli verbis, *AEra*, inquit, *numeri nota. Lucillius lib. 29. Hac est ratio peruersa; AEra summa & subducta improbe.* Igitur ab initio, ratio hæc numerandi tempora, ab vsque Augusto cœpta, *AEra* nominata est. Neque mouere quemquam debet, eius vocabuli vsum apud probatos auctores minime inueniri.

Multa renascentur, quæ iam cecidêre, cadentq;
Quæ nunc sunt in honore vocabula si volet vsus,
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Ait Horatius. Meus, Vasæe, huc inclinat animus, si cui aliud placuerit suo fruatur iudicio.

L. ANDR. RESENDII, PRO COLONIA PACENSI, AD IOANNEM VASAEVM virum doctissimum, Epistola.



Asu ac fortuito adcidit Vasæe, vt quum essem in mea bibliotheca, audirem in vicinia quendã de Salmantica loquentem. Quare aperta fenestra, vbi compellaui hominem, respondit publicum se scholasticorum isthic esse tabellarium. Intromissum percunctatus sum, ecquid literarum à Vasæo ad me. Ad me quidem ille nihil, multum ad multos. Meretur fortè hoc diuturnũ silentium meum, singularis certè amor & beneuolentia erga te, non meretur. Sed esto, quamquam multi mihi ad excusationem cessationis erant regressus, par pari relatum sit. Nam querulam & expostulatricẽ amicitiam, homo minimè morosus, neque vnquam gessi, neq; eos iudicio meo comprobaui, qui dum persuasione quadam falsa contemni se putant, molestas faciunt amicitias. Tria sunt in præsentia, de quib. potissimè scribendum ad te duxi. Primum facio pergrauatè. Non quod nolim factum, volo enim & cupio, si quis-

quiſquam alius, ſed quod in litteris ad te de tuis laudibus, & meo more orationi moderari cogor, & verecundiæ tuæ habere rationem. Eoq; factum eſt, vt de editis chronicorum libris diligentiſsimè à te ſcriptis, amicorum tuorum mea vnius ſeriſsima fuerit gratulatio. Sit illa quantumlibet ſera, certè qui ſecum reputarit quem locum, quem numerum, in ijs libris ego obtineam, quàm ſæpè honorificentiſsimè adpeller, ſiue id grato & beneuolenti erga me feceris animo, ſeu candore tibi ab natura inſito, nam exacto iudicio tuo, aut merito meo, dicere, ſuperbum exiſtimo, ſed quoquo id modo ſit, qui ſecum hæc reputarit, intelliget, de libris his, omnibus qui in hoc præſtando officio moram & cunctationem meam præuerterunt, me tacitum, quum prius tum libentius eſſe gratulatum. Sed ego videor illorum obliuiſci, quæ paulò ante dixeram. Quare ad reliqua duo, quæ tibi, vt ſpero, aliquanto gratiora ſunt futura. Alterum eſt, de epiſtola mea tumultuaria opera ad te ſcripta, quam tu me neque conſulto neq; probante, inter tua edendam curaſti. Eam poſteaquam ad te miſi, quum per otium retractaſſem, & Martino Aſpilcuetæ Nauarro, doctorum academiæ Conimbricenſis facile & abſque controuerſia principi, oſtendiſſem, atque ille qua monendo, qua auctoritatem ſuam inter-

interponendo, vrgeret vt ederem, quod in rem ſtudioſorum eſſe exiſtimaret, durum & inexpugnabilem me præſtiti. Sero nunc non geſti tali viro moris me pœnitet. Nam ſi publicanda erat, quanto retractatiorem multiſque locis reſectam in publicum exire præſtitiſſet? Tamen quando neque præteritum mutari, neque quod factum ſit fieri infectum poteſt, det illa prior celeritatis ſuæ pœnas, poſterior hæc, quam modo mitto, in eius ſubcedat locum, ſine vlla iam extemporali gratia, cum aliqua etiam elaboratę diligentiæ nota. Alterum, quę tertia mihi ſcribendi cauſa fuit, ex tuis libris adcepi. Nam vbi de Pacenſi vrbe agis, quam ego eam eſſe, quæ nunc in Luſitania Bexa nuncupatur, & pridem ſcriptis editis, & ſermone ſemper adfirmauerim, quuius tamē flaminium, poſt inlatam à Pœnis ei vrbi cladem, Badiozam trāſlatum ſit, manente priore Pacenſis pontificatus titulo, narras tu iſta quidē, ſed Ioannis Geneſij Sepuluedæ, quem honoris cauſa nominatum velim, opinionem adducis etiam, qua ille meum de Pacēſi colonia teſtimonium, apud te videtur feciſſe dubium, ac controuerſum. Eam modo rem, in ſtudioſorum rerum antiquarum, & Pacenſis coloniæ gratiam, diſceptandam ſuſcepi. Ponam ergo ipſamet tua verba, ex Geneſij, vt ais, admonitione. (*Alij epiſcopum Pacenſem ab ipſo*

ſtatim

ſtatim initio dictum adfirmant, à Pace Auguſta, vrbe & colonia Romanorum, Anæ fluuio adpoſita. Nam Pax Auguſta, Maurorum corruptione, in Baxaugús, deinde in Badaxós, degenerauit. Quæ vrbs quamquam ex parte Bæticæ adpoſita eſt Anæ fluuio, tamen quia Luſitaniæ iuriſdictioni contributa erat à Romanis, idcirco ab eis inter Luſitanas cenſebatur. Quæ ratio eadem eſt Metallinenſis coloniæ. Horum me admonuit Ioannes Geneſius Sepulueda.) Omnium primum, Vaſæe, illud nobis conſtituendum eſt, coloniam Pacenſem vrbem eſſe Luſitaniæ. Id perſpicuum nobis faciet: vel iuriſconſultus Paulus, ff. *de cenſibus*, l. *In Lyſitania Pacenſes & Emeritenſes iuris Italici ſunt*, vel Plinius lib. 4. cap. altero & vigeſimo ſicut vulgo circumfertur. *Iulij* autem cognominis, meminit Ptolemæus, in Luſitaniæ deſcriptione. Κατέχουσι δὲ τὰ μὲν περὶ τὸ ἱερὸν ἀκρωτήριον, τουρδητανοί, ἐν οἷς, αἱ ἐν τῇ λουσιτανίᾳ πόλεις μεσόγειοι, πὰξ ἰουλία, ἰουλία, μυρτιλίς, τὰ δὲ ἐνδοτέρω τούτων, Κελτικοί. Turdetanos, qui circum Sacrũ promontorium habitant, noſtra ætas Punica voce *Algarbio* adpellat. Celtici, ij ſunt, qui interius vlteriorem Anæ fluminis ripã incolunt, ad vrbem vſq; Heluas, quæ ipſo etiam nomine Gallicã præ ſe fert originẽ, ex Heluis Celtarũ Narbonenſis prouinciæ populis. Celticos autem à Celtis deriuari, vt à Gallis Gallicos & ſimilia, notius & vulgatius eſt, quam vt admo-

admonẽdum videatur. Sita ergo est Pax Iulia in medijs Turdetanorum Celticorumque confinijs, Iuliæ Myrtili, quam *Mertulam* vulgo dicimus, vicina. Esse autem ea quæ modo Bexa dicatur, probari potest, tum à longitudine latitudineque à Ptolemæo descripta, tum quod ab ea Turdetanus ager incipit, tum etiam à Myrtilis vicinitate, quæ, præterquam quod à Ptolemæo ostensa est, ex Antonini prætera itinerario deprehẽditur. Sic enim ille. *Ab Esuri, per compendium, Pacem Iuliam. M. P. plus minus* L X X V I. *sic Myrtilin*, M. P. X L. *Pacem Iuliam*, M. P. X X X V I. Qui numerus optime conuenit cum nostra nouem leucarum computatione, qua leucæ vni, quatuor milia passuum adsignamus. *Esuris* verò, vt id quoque non omittamus, oppidum est in Bætica ad Marianos pertinens montes, nequaquam æuo nostro ignobile, quod, deformato paulatim nomine, dici cœpit *Exeriz*, deinde *Xeriz*, Badiozæ vrbi attributum, à qua vix quindecim passuum milibus abest, vt hoc ipso, Badioza Pax esse Iulia non posit. Confirmatur etiam quod adserimus, compluribus in ea vrbe monumentis Romanorum, ipsum Pacis Iuliæ nomen ostentantibus, vt in fragmento hoc quod est in muro, bessalibus inscalpto literis.

RIAE.

RIAE PONT.
FLAM. PACIS IVLIAE

Et in hoc quod eſt in gradibus ſummi templi.

PAX. IVL
Q. PETRON

Ibi quoque cippus integer eſt, Aurelio Commodo dicatus, in quo non ſolum *Pacis Iuliæ* nomen eſt, verum etiam coloniæ. Is ita habet.

L. AELIO. AVRELIO
COMMODO
IMP. CAES. AELI. HA
DRIANI ANTONI
NI. AVG. PII. P. P. FILIO
COL. PAX. IVLIA
D D

Q. PETRONIO MATERNO
G. IVLIO. IVLIANO
II VIR

Facit ad eam quoque rem annalium libellus ille quem tibi aliquoties oſtendi, ſine dubio ante annos tercentum ſcriptus, in quo hæc ad verbum leguntur. *AEra.* M. CC. *Pridie calend. Decēbris, in nocte ſancti Andreæ, ciuitas*

Paca, id est Begia, ab hominibus regis Portugalis domini Alfonsi, videlicet Fernãdo Gonsalui, & quibusdam alijs plebais militibus, noctu inuaditur, & viriliter capitur, & à Christianis poßidetur. Iuuat non mediocriter nostram hanc rationem Rases Maurus, qui Marrochiorum tyranno imperatori vocato, túc oppressa Punicis armis Hispania, Cordubæ regnanti, de rebus & vrbibus Hispaniæ librum composuit. Quuius libri à me in scholijs in Vincentium nostrum mentio est facta. Is Rases quũ de Bexa loquitur, *terminus*, inquit, *Bexensis altera ex parte Emeritensi termino iungitur, altera Scallabitano.* Terminus quem barbarus iste Rases dicit, non agri, territorij ve intelligẽdus est, sed iurisdictionis. Nã quum in treis iuridicos conuentus diuisa esset Lusitania, *Emeritensem, Pacensem, & Scallabitanum*, colligitur Bexæ conuentum fuisse Pacensem, & Bexam Pacensem vrbem. Et quoniam Genesius argumentum etiam sumit ex deprauatione nominis *Pacis Augustæ* in *Baxaugús & Badaxós*, imitabor & ego illum, reddamq́ue rationem corrupti nominis. Neq; deterrebor, si ea res parum inlustrem faciat orationem, modo ei de qua agitur non parum adferat lucis. Ingenito oris vitio Mauri nonnullas nostras literas nequaquã recte pronunciant, sed eas vel in mutuo inter se cognatas, vt Hispani quoque solent, vel in sibi fami-

familiareis commutant. Eſt illis litera Xim, quã pingui admodum & vaſto ſono ita proferunt, vt ſtridorem feruẽtis ſartaginis, pręcipuè vbi inter frigendum ſalſum quidpiam inijcias, referre videantur. Ea litera noſtrum. S. fere reddunt. Heinc fluuius *Singylis*, abijt in *Ximil*, *Sucro*, in *Xucar*, *Satabis*, in *Xatibam*, *Menteſa*, ſiue *Mentiſſa*, vt eſt apud Liuium, in *Mentixam & Montixam*. Illa quoque litera noſtrum. c. ſequentibus e, vel, i, ſolent efferre, vt pro, CE, CI, XE, XI, pronuncient, ſicut etiam ex hac contagione vidi noſtrorum nonnullos, qui lenem illam doctiorum Italorum prolationem perperam æmulati, pro *Cicerone*, *Xixeronem* dicerent, & pro, *Feci*, *Fexi*. Redeamus ad Pœnos. Literam. P. plerumque transferunt in cognatam illi. B. Et ne diutius in his moremur, de induſtria, quum hæc ſcriberem, Pœnum adoleſcentem iuſsi Luſitanam hanc orationem pronũciare. *Sennor, perdone me voſſa mercee.* Hanc ille ita reddidit. *Xenior berdone me voxa merxee.* Et pro *Pater noſter*, dicebat *Bader noxter*. Tandem quo caſurum ſit tantum ineptiarum, aduerte. Pacenſem vrbem ſolebant antiqui, nunc addito cognomine, *Pacem Iuliam* dicere, nunc remoto, *Pacem* tantum, ſicut *Bracarum Auguſtam*, vel tantum *Bracaram*; *Emeritam Auguſtam*, vel tantum *Emeritam*. Mauri itaque, pro *Pace*,

mutatis literis, *Baxe* dixerunt, inde vocalibus transpositis, *Bexa*. Iam dudum arbitror, ex insidijs auscultas, vt meũ intercipias sermonem, destruasque hoc totum, quod molitus sum, & dicas controuersiam de *Pace Iulia* non esse, quam Genesius Lusitaniæ vrbẽ esse, non neget, sed de colonia Augusta Pacensi Anæ fluuio adposita, quæ licet ex Bæticæ parte sita sit, adscripta tamen esset Lusitaniæ, quemadmodum & colonia Metallinensis. De Pace Augusta, statim. Fingamus tamen interim esse *Badiozã*. Sed quum, Strabone excepto, qui Lusitaniæ Australe latus amne Tago determinat, reliqui omnes qui Geographica scripsêre, vtramque prouinciam Ana fluuio discerni tradiderint, neque vrbem ex Cisananis aliquam, in Transananam prouinciam, aut contra in illam ex his contributã meminerit, vnde id probat Genesius? A Metallinensi colonia, quæ in eadẽ Anæ ripa sita est, quæ ad Bæticam spectat, & tamen inter quinq; Lusitaniæ colonias numeratur? Non ne? Coniectura igitur adaugurat, non autem valida quapiam ratione coarguit. Sed hanc ego coniecturam nõ tam leuissimam, quã vanissimam esse, iam ostendero. Adij ante aliquot annos, celeberrimũ illud religiosissimumq; tota Hispania Virginis Dei matris ad *Aquas Lupias* delubrum: Vnde votis quæ susceperam, rite persolutis,

quum

quum redirem, veſtigandæ antiquitatis cauſa Metallinenſe oppidum deueni. Sumptiſque indidem qui commonſtrarent, quum cernerem ſitum eſſe oppidum ex parte Bæticæ, magnopere admirabar, hæſitabamque eſſetne ea Metallinenſis olim colonia. Inde conſcenſa arce, ſubiectum agrum circumſpiciens, aduerti longo limite depreſſum locum in ſpeciem ſicci aluei, ad Auſtrale ipſius oppidi latus. Super qua re rogati commonſtratores, reſponderunt, vbi paulùm excreuiſſet amnis, redundantia illac etiam meare. Eueſtigio ſubijt animum illud Horatij noſtri,

Curſum mutauit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius.

Idque quum apud me pro non ambiguo iam eſſet, non audebam tamen adſeuerare, donec è re nata ſententiam eam corroboraui. Ex eodem enim latere, à medio arcis colle ad imam planiciem, brachium duplici muro, ac opere fornicato, ductũ olim, nunc ruderibus pœne obrutum, inueni, per quod ij qui in arce eſſent, tecti & inuiſi aquarentur. Manifeſtum indicium illa parte fluxione perenni antiquitus iuiſſe fluuium, oppidumque ipſum re vera in prouincia fuiſſe Luſitania, quod nunc mutatione fluenti, Bæticæ parua quædam eſt adceſsio. Vidéſne iam non tantum labaſſe, verum corruiſſe

etiam Genesij rationē, subruto firmamento quod tamquā validissimū ad adprobationē ille adsumpserat, *Badiozam* attributā Lusitaniæ, quemadmodū & Metallinensem coloniam? Pacē iā Augustā adgrediamur, & apud quē auctorē, quaue in terra sita fuerit, consideremus. *Pacis Augustæ* nomē apud vnū Stra-bonē, & quidē corrupte, legitur. Quuius verba, vt vulgo in latinā linguā cōuersa circumferuntur, adponā. Ita enim de Tartesso. *Verū regionis felicitate, mansuetudine, simul & vrbanitate, adcedit proxime ad Turdetanos & Gallos, propter vicinitatē cognationemq́, vt testis est Polybius. Caterū illis minor.* Vt plurimum enim vicatim *habitant, & viuunt. Nā Turdetani, præsertim qui circa Batim loca tenent, in Romanos penitus ritus transformati sunt, nec propria memoriā linguæ seruant amplius, plurimiq́ Latini facti, secum adcolas adcepēre Romanos. Itaq́ parū abest, quin vniuersi Romani sint. Et nunc habitatæ vrbes, & in Gallia Pezaugusta, & aliæ in Turdulis Augusta* Emerita, *& in Celtiberis Cæsarea Augusta, & aliæ coloniæ quædam, permutatos dictarū ciuitatū ritus demonstrant.* Heic iuuemus potius quā reprehendamus interpretes, qui tamquā aliud agentes, ita Celticos qui Anā adcolūt, Gallos, & eorū regionē Galliā adpellant, quasi nō de Hispania, sed de Gallia ipsa Strabo ea scribens loqueretur. Et quod maioris videtur esse negligentiæ, Strabo ita scripsit. ϗ τὸ ἥμερόμ, ϗ τὸ πολι-

πολιτικὸν, συνηκολούθητε τοῖς τουρδιτανοῖς, καὶ τοῖς κελτικοῖς. id est, *& mansuetudine ac ciuilitate correspõdent Turditanis & Celticis.* Item. ὅπε νῦν συνῳκισμέναι πόλεις, ἥτε ἐν τοῖς κελτικοῖς πεζαυγοῦστα. siue vt legendũ magis arbitror, παξαυγοῦστα. id est, *Et nũc coactæ siue coadunatæ ex pluribus ciuitates* (id enim significat græca dictio συνῳκισμέναι.) *in Celticis quidem Pax Augusta.* Nec excusari poterit interpres, quod supra legatur ita ὁ δὲ ἄνας, πρὸς νότον ἐπιστρέφει τὴν μεσοποταμίαν ἀφορίζων, ἣν κελτοὶ νέμονται τὸ πλέον. Id est. *Atqui Anas, sese in Austrũ conuertit, interamnã regionẽ illã disterminans, quã Galli maiori ex parte posśident.* Nã sine dubio legendũ esse κελτικοὶ, id est *Celtici,* nõ κελτοὶ, id est *Galli,* adparet ex ijs quę de Artabris circa Nerium incolentibus, paulo post scribit. περιοικοῦσι δὲ αὐτὴν κελτικοὶ, συγγεννεῖς τῶν ἐπὶ τῷ ἄνα. Id est, *circum habitãt eam Celtici, consanguinei,* aut si ad verbum vertendum est, *congeneres eorũ qui ad Anam sunt.* Quum audis Celticos ad Nerium, eorum esse cõsanguineos qui ad Anã sunt, nónne clarũ est, & hos & illos Celticos vocari, nõ Gallos aut Celtas, tametsi & Celtici Gallica gens sit, & à Celtis profecta? Scio Gallos omneis, id quod etiam Strabo libro quarto scriptũ reliquit, siue propter Celtarũ claritatem, siue propter Masśiliensem vsum cœpisse à Græcis vocari *Celtas,* vel potius *Celtos,* qua forma multũ vsus est Polybius, &

nonnunquam Strabo, quamquam Celtæ tertia tantum sit Galliç pars, Cæsari, & reliquis Latinis scriptoribus, & ipsimet Straboni. Sed tamen conferendis ambobus, quæ citaui locis, potuisset interpres admoneri. Quod non carpendi, sed rei ostendẽdę causa dictum sit. Vera igitur ac germana verborum Strabonis interpretatio erat, *In Celticis quidem, Pax Augusta.* Aiebat ergo Strabo Tartesios mansuetudine & ciuili viuẽdi ratione adcedere proximè ad Turdetanos, hoc est, ad veros Bæticos, & ad Celticos Anæ adcolas, quos supra ex Ptolemæo Lusitaniæ esse populos est ostensum, ad illos, propter vicinitatem, ad hos, propter cognationem, quin & propter vicinitatem. Neque enim multũ inter se distant, sed inter Celticos & Tartesios soli Turdetani Bætici interiecti medijque sunt. Et quidem vitæ humanioris causam ijs populis fuisse Romanorum consuetudinem, à quibus & linguam, & mores & ciuilem viuendi in vrbibus rationem ac modum adcepissent. Ob eam quoque causam, spreta pristina vicorum habitatione, vrbeis iam frequenteis coli, in Celticis quidem Pacem Augustam, in Turdulis verò Emeritam Augustam, & in Celtiberis Augustam Cæsaream. Hos autem, quos diximus, Celticos etiam Straboni esse, liquet ex ipsius verbis, quæ antea retulimus.

Nam

Nam vbi continentem ad Sacrum promontorium, inter Anam Tagumque describit, ὁ δ' ἄνας, πρὸς νότον ἐπιστρέφει, τὴν μεσοποταμίαν ἀφορίζων, ἣν κελτοὶ νέμονται τὸ πλέον, καὶ τῶν λυσιτανῶν τινες ἐκ τῆς περαίας τοῦ τάγου μετοικισθέντες ὑπὸ Ρωμαίων, id est, *Atqui Anas sese in Austrum co̅uertit, interamnam regionem illam disterminans, quam Celtæ,* (vel vt ego legendum puto, Celtici) *maiori ex parte possident, & Lusitanorum nonnulli, ex vlteriori Tagi regione in coloniam traducti à Romanis.* Audis heic Lusitanos deductos in coloniam à Romanis ad Celtas, siue potius ad Celticos, illeic audisti in iisdẽ Celticis esse Pacem Augustam. Obscurúmne etiam est coloniam hãc pacem Augustam esse? Quod si colonia Pax Augusta in Celticis est, Celtici verò Lusitaniæ populi, vtique & pax Augusta Lusitaniæ ciuitas. Ad hæc, Straboni *Pax Augusta* Lusitanorum colonia, in Celticis est, Ptolemęo *Pax Iulia* Turdetanorum Lusitanorum vrbs in confinio Celticorum Lusitanorum ponitur; ex vetere inscriptione *Pax Iulia* colonia esse ostenditur, Plinio autem quinque tantum coloniæ in Lusitania numerantur, Emeritensis, Metallinensis, Pacẽsis, Norbensis, Scallabitana. Nónne id cõficitur, eandem esse Pacem Augustam & Pacem Iuliam? Vel ostendat Genesius duas in Celticis colonias, alteram Pacem Augustam, Pacem Iuliam alteram. Ne-

que verò quemquam moueat, quod Ptolemæus & Plinius, etiam in ea Bętice parte quę à Bæte ad Anam eſt, & proprie Bæturia adpellatur, ponunt Celticos, ad Hiſpalenſem conuētum pertinenteis, quemadmodum & Turdulos, qui iura Cordubam peterent. Nam aiente Plinio Celticos hos aduenisse in Bæticam *à Celticis ex* Luſitania (ſic enim legendum, non *à Celtiberis*) perſpicuum eſt, Celticos Luſitanos & vetuſtiores, & famæ fuiſſe maioris, parenteisque non modo Celticorum Bæticorum, quorum nulla eſt apud Strabonem mentio, neque alibi, neque quū de Bæturia parte Bæticæ, ab ipſo Bæte ad Anam tendēte dixit, τοιαύτη δὲ καὶ ἡ βαιτουρία, ξηρὰ ἔχουσα πεδία τὰ παρήκοντα τῷ ἄνα, verū etiam eorū Celticorū, qui Neriū promontorium ad Artabros tenuêre. Strabo vero quū Turdetaniā Bæti fluuio mediā diuidi, Ana terminari ad Septentrionē & obcasū, deinde ab Ana ad Sacrum promontoriū Celticos & Luſitanorū pleroſq; habitare tradiderit, Pacem autem Auguſtā in Celticis cōlocet, dubium non eſt, intellexiſſe eū Celticos Luſitanos, non Bæticos, quorum ipſe non meminit. Præterea, quum Strabonis Pax Auguſta adeo inluſtris fuerit, vt vna cum Emerita Auguſta, & Auguſta Cæſarea in argumentum Hiſpanæ illo tempore manſuetudinis & vitæ politioris, propter Romanorū con-

ſue-

ſuetudinem, ab eo inducatur, ſi hæc Pax Iulia noſtra non eſt, colonia & iuridicus conuentus, in Celticis poſita, vt Strabo ait, inter Celticos & Turdetanos Luſitanos, vt Ptolemæus, quam dicemus eſſe alteram? In Celticis Bæticis vnam quampiam, dicet Geneſius. Vt hoc ratione aliqua niti videatur, duo illi oſtendenda neceſſario erunt. Alterum, Badiozam quam ipſe Pacem Auguſtam eſſe vult, in Celticis Bæticis eſſe ſitam. At hoc non euincet, quum potius in Turdulis Bæticis eſſe multo ſit probabilius. Nam Celtici Bætici qui Bæturiæ partem Luſitaniæ prætenſam ab Anæ oſtio quinque tantum ciuitatibus Ptolemæo, aliquanto pluribus Plinio adcolebant, non tam late patebant quam Celtici Luſitani. Turduli verò Bætici Luſitaniam Tarraconenſemque attingentes, erat gens ampliſsima, multarumque ciuitatum, quarum erat Corduba metropolis, quam in Turdulis eſſe Ptolemæus teſtatur, vt merito Plinius hoſce Turdulos iura Cordubam petere dixerit. Eôque factum mihi videtur, vt Emerita ab his Turdulis ſolo amne Ana intercedente diuiſa, in ijſdem Turdulis eſſe Straboni dicta ſit. Atqui Badioza quam non amplius quam triginta paſſuum milibus diſtet ab Emerita, quur magis Celticis, quum Turdulis, Hiſpalenſi conuentui potius quam Cordubenſi adſcri-

adſcribatur, huic propinquior, ab illo remotior? Diſcriminet arbitrio ſuo harũ duarum gentium terminos Geneſius, & Badiozam, quam Pacem Auguſtam eſſe contendit, referat ad Celticos, petam iam alterum illud è duobus quæ oſtendenda ab illo eſſe dicebam, nempe vt auctorem proferat, qui liquido Pacem Auguſtam in Celticis Bæturiæ conlocet, quorum vti ſuperius eſt oſtenſum Strabo non meminit. Nam Ptolemæo, Celticorum Bæticorum vrbes hæ tantum nominãtur. βαιτικῶν κελτικῶν, ἀροῦκι. ἀροῦνδα, κούργηα, ἀκεvιπτῶ, ὄυαμα. Plinius quoque Celticorum Bæticorum recenſens oppida, quos ex Celticis Luſitanis aduenisſe manifeſtum ait, ſacris, lingua, oppidorumque vocabulis, quæ tamen cognominibus in Bętica diſtinguerentur, nullam omnino Pacis Auguſtę mentionem fecit. Oblitus vterque eſt, inquiet. Egregium verò Geographum vtrũque, peruerſeque diligentem, qui quum in ignobilibus oppidis recenſendis operam prope dicam luſerint, nobiliſsimam coloniam prætermisêre. Atqui non ita eſt. Sed nobilis illa Strabonis *Pax Auguſta* in Celticis poſita, *Pax Iulia* Ptolemæi, ac Plinij eſt, in Celticis quidem iuxta Strabonem poſita, inter Celticos verò ac Turdetanos Luſitanos iuxta Ptolemæum, quoniam tractum hunc ab Ana ad promõtorium ſacrum, quem totum

tum à Celticis posſideri & Luſitanorū pleriſque ab vlteriori Tagi regione eò traductis Strabo dixit, hic alter minutius expoſuit, Celticis Strabonis bifariam in Celticos ac Turdetanos diuiſis. Quod ſi interroges, ſi vna eademque eſt, quur ergo ab Strabone cognominatur *Auguſta*, quæ ab alijs *Iulia*? Interrogabo ego ſimiliter, Gaditana vrbs, quur & *Auguſta*, & *Iulia Gaditana* adpellaretur, cōfirmante id Plinio in fine libri quarti. Cognominis enim vel huius vel illius rationem, cauſamúe niſi diuinando, in tanta rerum antiquarum obſcuritate, nos reddere non valemus. Sed ſi diuinationi locus vllus eſt, cauſa quur *Pax Iulia* vocaretur adſignari poteſt, quod Iulio res in Luſitania gerente, hæc Luſitaniæ regio inter Anam ac Tagum, quam *interamnam* ideo Strabo vocat, domita ac pacata auſpicijs illius fuerit. In quuius ſignum quum ex Tranſtaganis Luſitanis eo traductis vrbem conſtituerit (nam à Iulio ſe conditos Pacenſes ipſi fatentur, & vetus fama obtinuit, cui Raſes etiam Maurus atteſtatur) boū capita ex marmore pleriſque locis interſperſit, quæ adhuc extant, Pacemque à ſe Iuliam adpellauit. Non tamē protinus nouæ vrbi coloniæ Romanæ ius, aut iuridici conuentus dignitatem tribuit, quum nondum rerum omnino potiretur. Ad quam forte ſub Auguſto prouecta, Iulij

cog-

cognomen in Augusti mutauit, quod tamen diu non retinuerit, quum prius in gratiam conditoris inualuisset. Verum hæc diuinantes. Nobis satis est, si maneat incolume illud, quod conlatis inter se scriptoribus confeceramus, eandem esse *Pacem Iuliam*, & *Pacem Augustam*, Lusitaniæ vrbem, & iuridici conuentus coloniam.

Reliqua est parua quædam perleuisque obiectio, quî factum ergo sit, vt *Badiocensis* episcopus multos iam annos *Pacensis* sibi titulum induerit. Sed in hac propellenda longe admodum minus laborandum nobis est, cognita etiam vulgo, post funestam illam Hispanis rebus inlatam à Pœnis cladem, sacerdotiorum mutatione. Nam vrbes prius claræ, vt quæq; vel maioré plagã adceperũt, vel ægrius reualuerunt, ita pristinum suum decus aut recuperarũt serius, aut penitus amiserunt. In nonnullarum locũ alibi suffectæ aliæ. Vbi nũc Emeritę Augustę Lusitanię totius metropolitana quondam ἐπισκοπή? Quã multos annos Bracara Augusta Callęcię metropolis, quum semel pessum isset, obtrita iacuit? Granata innobile quondam oppidũ Iliberitanæ Diœceseos, quũ de interitu suæ metropolis, per Maurorũ tẽpora, ad immẽsas creuisset opes, & molem hanc hodiernã, tandem à *Vernando* rege non vno tãtum nomine *maximo*, feliciter victa, & Christianis initia-

initiata sacris,in adcretionem,&, si mihi per Ciceronianos liceat ita loqui,auctariũ nobilitatis, pontificiam dignitatem adcepit, & quidem inlustriorem quam olim habuisset *Iliberis*. Mentesa, in parum frequentis pagi redacta est formam, & pontificatus honorem habet Geena, siue, vt ipsi malunt, Gyena. Neq; fortunatior fuit Ossonoba, spoliata sacerdotio,quod etiam Siluensibus nouæ mutationis rumore indies conglaciat. Sed harum trium, translatis alio dignitatibus, etiam tituli interiêre. Sunt etiam quæ translato pontificali iure, apud nouum possessorem solum nominis sui titulum retinuerint, quasi quum solebant venditores non nequam,in ijs quę mancipio darent, rutis cæsis recipiendis sibi cauêre, aut quemadmodum fecit Mænius, qui in venditis ædibus saltem columnam vnde spectaret, excepit. Ad istum modum, translata Compostellam episcopali sede, quæ Iriæ Flauiæ ante fuerat, nihilo tamen secius episcopus Iriensis cátenus adpellatus est, quoad metropoli constituta, etiam is titulus obsoleuit, sicut à nobis explicatum est, quum de translatione corporis apostoli Iacobi ageremus. Sic etiam Igæditanorum ecclesia translata in vrbem Gardiam, veterem adhuc adpellationem retinet. Longum est omnia ad hoc exemplum persequi. Hoc igitur pacto,
Pax

Pax Iulia, quæ pontificem olim habuit, vt, tum ex ſubſcriptionibus aliquot Hiſpanorum Conciliorum videre eſt, tum maxime ex concilio duodecim Prouinciæ Luſitaniæ epiſcoporum Emeritæ congregato, ſub Receſuintho rege, æra. DCCIII, quod in vetuſto codice apud me habeo, quum & ipſa in Hiſpaniæ euerſione corruiſſet, amiſſum eius decus poſsidet quidem Badioza, ſed Pacenſis tamen conſeruatus titulus, tum aduerſæ Pacis Iuliæ fortunæ nos admonet, tum explicat veteris & prope exoletæ memoriç recordationem.

Hæc habui Vaſæe, quæ pro colonia Pacenſi ad te ſcriberem, quæ etiam Geneſio probatum iri nõ diffido. Nam vt prima laus ſit, ea dicere, quæ veritate vndique fulciantur, certè proxima primæ eſt, ſine pertinacia rationem ad veritatem ipſam reuocare. Magni quoq; eſt animi, & hominis ingenue docti, quum aberraris, reuicto ab alijs errore tuo, non iracunde contra niti, ſed æquo aut potius lubenti animo, conuulſam veritate opinionem remittere. Quod ad me attinet, ſi Geneſius ipſe aliquid melius veriuſque, quod pro Badioza adferat, etiam habuerit, idq; nobis, vt erudito homine dignum eſt, non inuideat, tantum abeſt, vt meas has rationes verioribus confutari vel doleam, vel indigner, vt etiam ea re magnam initurum illum

illum apud me gratiam iam nunc pollicear. Etsi enim diligentis nomen & amo, & quodammodo videor meo mihi iure sine adrogantia vindicare, tamen non tantum mihi sumo, vt alijs multa non concedam. Verum hæc hactenus. Erant præter hæc, quæ communicata tecum vellem. Sed ea, quod nondum satis maturuerunt, commodius alias. Mitto ad te oratiunculam, qua nostræ vrbis nomine, aduentui Ioannæ Caroli Augusti filiæ, principi nostro desponsæ, publice sum gratulatus. Mitto autem Lusitane scriptam, vt ad Semilusitanum. Sin tu iam omnino Hispanus factus es, scito etiã Hispanis adeò placuisse, vt supra viginti exempla primores eorum à me extorserint. Vale.

Postquam hæc ad te scripsi, quum in tuis libris iterum vrbium, quæ siue olim habuerunt, siue nunc Episcopos habent, catalogũ legerem, hæsi ad Tabetanum Episcopatum, quem te ex tertio Toletano Concilio adcepisse arbitror, in quo subscribit, *Muttose Tabetanæ Ecclesiæ Episcopus.* Et suspicaris eũ Episcopum Africanum fuisse, ex eo quod apud Cyprianum in Carthaginiensi Concilio legitur; *Martyr Secundianus à Tabeis, dixit.* Sed nihil opus est, ea causa trans fretum peregrinari. Nullus enim Tabetánus, seu ex Africa, seu aliunde gentium, Episcopus in Toletano illo Concilio fuit: sed electio peruerse posita

fefellit. Legendum quippe, *Mutto Satabitanæ Ecclesiæ Episcopus*. Nam Sætabis, etiam Episcopum olim habuit, vt patet ex subscriptionibus Toletanorũ Conciliorum, quinti, octaui, & vndecimi. Et tu Sætabi sedem Episcopalem fuisse, etiam adnotasti. Huius te rei visum est admonere, si forte eum locum recudere non graueris. Etiam vale. Eboræ, quarto Nonas Februarij.

M. D. LIII.

* * *



L. AN-

L. ANDR. RESENDII PRO SANCTIS CHRISTI MARTYRIBVS VINCENTIO OLISIPONENSI PATRONO, Vincentio, Sabina, & Christhetide, Eborensibus ciuibus, & ad quædam alia Responsio.

Ad Bartholomæum Kebedium, sanctæ Toletanæ Ecclesiæ sacerdotem, virum doctissimum.



Vam non parum studijs meis debeam, si antea, neq; semel, expertus non essem, ex tuis modo ad me literis Kebedi eruditissime, satis superq; potui animaduertere. Satis enim amplum ex ijs fructum me cepisse confiteor, non modo ex ipsa rerũ notitia, propter quam sectatus illa sum, qualis qualis mihi ea contigerit, verum etiam ex doctorum grauiumque virorum, quam mihi domi ac foris conciliarunt, amicitia. Fuerint sanè alijs studia sua ad rem amplificandam lucrosiora, mihi vnum hoc emolumentum ad hoc ætatis, fuit semper, eritque propositum. Quuius percupidũ esse me, nequaquam pœnitet. Sed doleo,

quasique subirascor, has ad me literas ex ante diem calendarum Iunij anni superioris Toleti datas, vsque ad eidus hasce Ianuarias iter paucorum dierum vix tandem confecisse, aut mihi redditas non esse, præsertim quum eo tempore ego minime latuerim, vt illis aliquot annis, quibus tu meum congressum frustra, vt ais, expetisti. Perpetuum siquidem eum annum Olisipone egi, palam mediaque in luce. Nempe eò vocatus à meo principe, ad prouincialis cócilij decreta scribenda, & quotidie itabam ad summum templum, ad episcopos. Quod nisi tam diu illæ obdormiuissent, iam haberes ad ea quæ à me quæsisti responsionem. Et, si satis tibi esset factum, adquiesceres; sin non esset, commodius ipse aliquid excogitares, ac comměntareris. Resarciam tamen iacturam hanc, si iactura vocari mereatur, prolixissima responsione, vt mea verbositate ad fastidium vsque satur, incipias minus nostra esurire. Sequarque in respondendo propositum â te quæsitorum ordinem. Beati confessoris *Gundisalui* officium à me compositum mire extollis. Gaudeo sane, & ita vere adfectum esse te, non solum gaudeo, sed exulto. Modulationem tamen cantus valde improbas. Quid ni improbes? quum tam deprauate typis excusa sit, vt ego eam nec adnoscam, nec saltem cantare me posse vllo modo sperem,

qui

qui eam composueram. Spero tamen te, ipsam typographi culpā à me præstandam, pro tua æquitate, non existimaturum. Ego, vir doctissime, autographum meæ manus in comitijs sacerdotū Prædicatorij instituti *Scallabi* habitis, quum obtulissem, scriptura comprobata, cantus examen cōmissum est fratri Isidoro, homini vestrati, musicæ compositionis bene perito, & quatuor alijs, qui choragium in suis agerent cœnobijs. Qui quum semel atque iterum inoffense cantassent, retulerunt patribus, non modo se modulationem probare, sed illa etiam mirifice fuisse delectatos. Quumq; vno consensu dictum esset, placere recipi, in comitium vocato, publice actæ gratiæ, & ab omnibus omnia mihi felicia exoptata, Addo amplius. Quotquot inde Olisiponem redierunt, vna cum prouinciali præfecto, in naui officium ipsum cantillando, nauigationis tædium iucunda cantus voluptate sese propulisse, glorati apud me sunt. Data post id imprimendi prouincia monacho viro Hercle docto & probo, sed impressoriæ artis inexperto, neque scio quam canendi perito. Qui tum typographo insigniter eius rei ignaro, adhunc modū rem gessit, vt nisi denuo ad autographi ipsius fidem modulatio recudatur, posse cātari mihi sane videatur impossibile. Neq hoc dico, quasi culpā vniuersam à me able-

gem, & in typographum reiectam velim. Neque tu, si alioqui, præter deprauationem, absona compositio est, culpam à me transferas. Si quid peccatum est, & minime ex arte factum, id ad me pertinere peccatum profiteor. Nam tametsi non omnino rudis eius artis fuerim, catenus tamen in ea laborauerам, quatenus opus erat homini choro & altari destinato. Cæterum literarũ studijs amplius delectatus, scriptoris non indiligentis nomen aliquod, & sermonis nitorem, quoquomodo potui, consectatus sum. Quam feliciter, viderint lectores. Musici exquisitioris decus nõ ambiui. Tantum, quum officia nonnulla huius nostræ Eborensis Ecclesiæ à mea officina prodierint, ex eadem, cantũ adieci duobus, alteri Reginæ sanctæ Elizabet, alteri huic Diui Gundisalui, nimirum offensus cantu ab alijs in aliquot mea alia officia composito, per diuersa systemata euagante, nullaq; ἄρσεων καὶ θέσεων ratione modo fastigato, modo depresso. Atqui ego dederam, vt putaui, operam, ne μελοποιΐα sensui ac literæ non conueniret. Et si ad Gregorianæ compositionis me normam adigis, si quidem hic exodiorum & antiphonarum cantus, quẽ omnes Ecclesiæ sequuntur, Gregorij est, possum ostendere me nihil sine exemplo fecisse. Vitaui tamen longiorum pneumatum perplexitatem, & super breueis

sylla-

ſyllabas adcentu deſtitutas moroſam multarum notarum inculcationem. Sed vereor ne tu me iam ineptũ arbitrêre, qui hæc apud te, virum, vt nihil amplius addam, inter Eccleſiæ Toletanæ ſymmyſtas celebrem. Quare ad illa quæ tibi placere magis ſignificaſti, iam pergam.

Viſcella fluuius, Luſitane, *Vizella* dictus in Auum maioris famæ fluuium, paulo infra Neruæ Traiani Cæſaris memoriam, in ipſa *Aui* ripa perdurantẽ ingreditur. Intra quorum fluuiorum cõfluenteis, *Vimaranenſis* eſt ciuitas, ſancti Pontificis Damaſi quondam patria, ſi per veſtros liceret. Tametſi nondum decennium eſt, quum prodijt Onuphrij Veronẽſis viri diligentiſsimi, de Pontificibus Romanis liber, omnibus Vrbis templis, archiuis, bibliothecis, perquiſitis, adcuratiſsime compoſitus. Is penitus Luſitanum ac *Igæditanum* eum facit. *Sanctus*, inquit, *Damaſus, Antonij filius, Egitanenſis, Luſitanus Hiſpanus.* Sed ego Eborenſis Eccleſiæ vetuſtum codicẽ ſum ſequutus, quum eius vitam Breuiario inſerui. A Vimaranenſi ergo ciuitate interſtitio ſedecim milium paſſum; hoc eſt leucarum ad noſtram rationem quatuor, oppidum eſt *Athanagilde* Viſcellæ impoſitum, *Athaagilde* Luſitane vocatum, è regione oppidi *Sancti Veriſſimi*, in altera fluuij ripa locati. Non procul ab Athanagildi,

ſecundo flumine, Vimaranium verſus, oppidum & templũ *Sancti Pelagij* eſt, quuius Gundiſaluus rector fuiſſe perhibetur, antequam Hieroſolymam petijt. Fueritne Athanagilde id nomen à Gothorum rege ſortitum, an aliam ob cauſam, adſeuerare modo nõ poſſum. Exſtant veſtigia quædam nõ contemnendæ antiquitatis, & ædes ſemidirutæ *Palatia* vulgo adpellatæ, ſtructura plane Gothica, non Romana.

Tamaca fluuij nomen, quod Luſitanum petis, *Tamaga* eſt. Oritur is amnis nõ procul à Monte Regio Gallęciæ oppido, inde *Aquas* adluens *Flauias*, de quibus alibi, *Amaranthum* deſcendit, mediamque ſecat, vt duplex oppidum efficiat, duplici foro, dupliciq; iudicio, ponte nobili lapideo à Gundiſaluo exſtructo vtrinque iunctum. Idq; eſt, quod in Hymno dicitur. *Nec capit duplex Amaranthus amplas ſapè cateruas.* Quod quã vere dictum ſit, liquêre hinc poteſt, quod paucis ante diebus quam hæc ad te ſcriberem, certior factus ſum, ipſius dicato die, quarto eidus Ianuarij, ſupra quatuordecim milia ſexus vtriuſque Amaranthum ad ſancti viri ſepulcrũ conueniſſe.

Quod interrogas de ſanctæ Reginæ *Elizabet*, officio, & an antę meum hoc aliud exſtaret, quod tamẽ apud ſolas Claraleis Conimbricenſis Parthenonis virgines, vbi ea Diua ſepul-

ſepulta eſt, feſto eius die ad quartum nonas Iulij celebraretur, quaúe id auctoritate, ſic adcipe: Felicis memoriæ Emmanuel rex, ab Leone decimo Rom. Pontifice impetrarat, vt in Parthenone ſepulturæ eius, & in ipſa vrbe & diœceſi Conimbricenſi, ſancta hæc Regina, vti Diua coleretur, pingeretur, & inuocaretur, eiusque annua memoria inibi celebraretur. Canebaturque tunc officium illud quo me offenſum in præfatione ſum teſtatus. Eaque fuit cauſa, vt nouum ipſe facerem. Creſcente indies propter miraculorum frequentiam fidelium adfectu, & propagata per totam Luſitaniam ſanctitatis eius fama, pijſsimus Ioannes hoc nomine tertius, erga quem gratitudinem animi tui & probo, & magni equidem facio, non ſatis pietati ſuę eſſe putauit, tam anguſtis terminis eum cultum circumſcribi. A Paulo igitur quarto ſummis precibus contendit, vt ſicut ea Diua toti olim regno præfuerat, ſicà toto modò *beatam* coli, celebrarique permitteret, Adnuente pontifice, factum eſt, vt Diuæ memoria anniuerſaria vbique iam celebrior habeatur.

Moues deinde controuerſiam, neque ſane exiguam, inter Luſitanos noſtros, ac Gallos prouinciæ Aquitaniæ, de reliquijs corporis *Diui Vincentij* leuitæ & martyris, inquientibus Luſitanis Oliſipone in ſummo templo

haberi, vbi religiosissime colitur, vt ipse testis oculatus es, Gallis contra, ad *Castrense* oppidum Aquitaniç delatas quondam à monacho, qui Valentiam deueniens, Mauri quuiusdam indicio inuétas furatus sit. Cum quibus etiam Valentinos facere adseueras, & irridere solitos qui secus sentiant. Quemadmodum & *Petrus Antoninus Beuter* iocatur in nostros, quasi Vincentij corpus dicant natatu deueniſſe ad promontorium Sacrũ, quod ab illo postea Sancti Vincẽtij nomen sortitum sit. Facetum hominem. Sed si facetos & ipsi nos faciamus, non deest ingenium ad facetias aduersus sannionem Beuterum comminiscendas. Verum potius citra vel iocos, vel iracundiam, sedato quietoque animo, dispiciamus vtri veriore ac probabiliore se tueantur historia. Venit quidã monachus Valentiam, quadam motus reuelatione, regnante apud Gallos Carolo Caluo. Qui nimirum regnum auspicatus est, circa annum Seruatoris octingentesimum quadragesimũ primum. Is monachus mysterio quodam, industriâq; Saraceni quuiuspiam, sanctum corpus inuenit, & furatus est. Iam ergo Valentia in potestate erat Saracenorum, & sancti martyris corpus desertum ac sine custodia. Pergamus. Quumque clam illud abstuliſſet, deueniens Cæsaraugustam, prçda illa nobili spoliatus est. A quibus? A Sarace-

racenis, an à Christianis? A Christianis arbitror. Namque custoditus ibi est. Vnde post annos plerosq; quibusdam ambagibus deportatum tandem est in Gallias ad Castrense oppidum, sub Pontifice, vt Platina dicit, Ioanne Anglico, quem ipse ôctauum facit, hoc est, anno Christianæ salutis octingentesimo quinquagesimo quarto, aut quinto, vt Beuter autem adfirmat, anno à Christi natali octingentesimo sexagesimo tertio. Quo tẽpore, non Ioannes, sed Nicolaus, erat Pontifex. Vtroquumque modo sit, non paucos annos Cęsaraugustæ retentum corpus fuisse adstruunt, indeq; postea deportatum. Quod si Christiani auferri sibi siuerunt, immane quam male meriti fuerint, parumq; pij, qui diuum indigenam, suumq́; ciué, & qui, vt sacer ait Prudentius, *peregre necandus, Martyr his terris tenui notarat Sanguinis rore specimen futuri Morte propinqua*, oblatũ sibi tam opportune, quasiq; iure postliminij redditum, sic abire permiserint. Nisi se etiam furto alterius monachi circumuentos esse querãtur. Eos tamẽ ante quã Lusitanos audierimus, nequaquam arguamus. Nõ proferemus monachilia furta, sed regni publicos annaleis, & Alphonsi Henrici, primi Lusitanorũ regis historiam, non modo hanc quæ Lusitana lingua circũfertur, à Duarte Galuano viro nobili & eruditionis variæ, non tã compositam, quam in
epito-

epitomen redactam, sed antiquam, ab ipsius regis temporibus Latine, vt illa ferebant tépora, scriptam, quæ à Sanctæ Crucis Conimbricensis, vbi idem rex sepultus est, canonicis reuerenter adseruatur. In his ergo legimus Alphonsum Henricum in Orichiensi agro memorabili prœlio Ismarium, aliosq; quatuor Saracenorum reges fudisse, & exutos castris, multis milibus interemptis fugasse. Cui Conimbricam reuerso, obcurrisse sanctum Theotonium gratulabúdum. Qui quum inter captiuos vidisset aliquam multos, qui se Christianos esse dicerent, *Muzarabas* vocatos, hoc est, vt interpretantur, *mixtos Arabas*, petijsse à rege, vt libertate donarentur. Quos ad se vocatos, quum interrogasset rex, qui nam, aut vnde gétium essent, respondisse, origine quidem se Valentinos, incolas verò promontorij fuisse illius, quod in Algarbij finibus mari prominet. Eorum maiores Valentia simul cum corpore sacratissimi martyris *Vincentij* aufugisse, metu aduentantis Abderamenis, illôque in promóntorio consedisse, domosque ibi pauperes inædificasse, iuxta sacellum, vbi sancti martyris corpus custodirent. Illicque eos mansisse, donec Maurus quidam potens venationis causa eo deueniens, eorum parenteis obcidisset, se pueros captiuos fuisse abductos. Signum rei certæ illud se posse dicere, si domun-

munculæ permanerēt, aut corui ſaltem, qui ſacellum illud familiariter frequentarent, à tempore quo martyr beatiſsimus illuc adplicuiſſet, vnde factum eſſet vt Mauri promontorium illud *Coruorum montem* adpellarent, id etiamdum priſtino more facerent. Regē his auditis, incenſum cupiditate, inijſſe conſilium, probaſſeque fieri aliquot dierum inducias. Eóq; quum iuiſſet fruſtra, loci facie ſitu iam deformata, infecta re tunc quidem reuertiſſe. Verum debellatis poſtea paulatim Saracenis, captâque Oliſipone exarſiſſe deſiderio inueniendi martyris, eaque gratia conſtruxiſſe canonicorum cœnobiū. Diuôque *Vincentio* nuncupaſſe. Anno tandē à capta Oliſipone vigeſimo ſexto, Allibo Iacob Hiſpalenſi regi inducias in quinquēnium poſtulanti, ſola huius rei gratia cōceſſiſſe, ac miſiſſe ad promontorium Saracenis iam vacuum viros armatos in naui, vnâque ex Muzarabibus illis ſeniores, qui locorum melius recordarentur. Ibi ſuppliciter adorato numine: domuncularum ac ſacelli, coruorum indicio, tandem reperiſſe veſtigia, multisque foſsionibus aperta terra, & ruderibus expurgatis, inueniſſe ligneū ſacri corporis conditorium, ſubtus dirutam ſacelli aram. Quumque inter colligendum ſemiputre conditorium, ex ijs qui aderant vnus clā paruum os abſcondiſſet, lymphatum ac cæcum

cum corruisse, donec quod in sinu abscóderat, deprópsisset. Inde corpus impositũ naui quum esset, coruos duos, alterum in prora, alterum in puppi consedisse, tanquam familiareis Diui alumnos, neque inde reuolasse, verum comitatos in naui sanctas patroni reliquias. Tandem adplicuisse Olisiponi, iuxta fanum Diuarum *Iustæ & Rufinæ*, quo loci porta vrbis etiam nunc est, *Sancti Vincentij* adpellata. Eo enim vsque mare tunc erat, quod paulatim postea propulsum, amplianda vrbi locum reliquit. Tunc noctis silentio, vitandi tumultus causa, deportatũ corpus ad fanum Iustæ. Orto tamen die quum increbuisset fama, cócurrisse armatam multitudinem, diuersis studijs, parumq; abfuisse, quin vẽtum esset ad arma. Adcurrisse tũc Consaluum Viegam militiæ regiæ præfectum, & seditionem composuisse, exspectãdamque regis eo tempore absentis voluntatem persuasisse. Robertum denique summi templi decanum, suo & Capituli nomine, secreto conuenisse Munionem Diuę Iustæ rectorem, impetrasseque vt corpus ad summum templum deferri permitteret. Regem quod factũ esset, nõ improbasse, licet in animo háberet in Canonicorũ cœnobio Sãcto martyri à se nũcupato illud conlocare. Nec quieuisse illũ, sed misisse denuo ad promontoriũ, qui numquid adhuc superesset solertius

tius scrutrarentur. Inuentam adhuc caluariç partem, & conditorij fragmēta aliquot. Regem ob gestę rei memoriam Olisiponi vrbi insignia dedisse, nauē iuxta malū Diui martyris imaginem gestantem, ac duos coruos, alterum in prora, alterum in puppi cōsidenteis. Et in locô vbi sanctū corpus diu latuerat, curasse tēplum nobile ædificari, & nomē promontorio immutasse, atque vt *Sācti Vincentij* post id vocaretur effecisse. Hæc summa est historię Lusitanorum, quam te arbitror, quum apud nos esses, didicisse, insignia passim vidisse, picturam gestæ rei vetustißimā, vestibus, calceis, capillitio, præ se ætatem illam pristinam ferentibus, adhuc recordari. Confer nunc vtrorumque rationes, & num credendum magis putes monachi furto, an regni annalibus, Castrensine oppido, an Olisiponensi vrbi, totique Lusitaniæ regno, & indito ex eo tempore promontorio nomini. Quod si parum adhuc egimus, suppetias petamus à nostræ religionis hostibus, & veritas vndequumque eruatur.

Rases Maurus, Dalharab Marrochiorum Miramolini, ac Cordubæ regis historicus, Hispaniæ vetustates scribere est adortus, vt regum Saracenorum : qui in Hispania regnarūnt, annaleis, qui etiam nunc exstant, cōcinnaret. Libri titulus est. *Incipit liber Rasæ, historici Dalharab Marrochiorū Miramolini Corduba-*

dubaq, regis, quem ipsius iussu composuit. Versus est in linguam Lusitanam ex Arabica, per me magistrum Machometum Saracenum nobilem architectum. Et scribebat mecum AEgidius Petri, clericus Domini Petri Ioannidæ Portellensis, patris Domini Ioannis Auolini. Is igitur Rases, de montibus, fluminibus, & vrbibus Hispaniæ, de priscis Hispanorum regibus ante Romanos, de Romanis ac Gothis, nonnulla commode, permulta inepte, quo pacto ethnici scriptores atque poëtæ, de rebus sacris diuinæ scripturæ, quasi per somnium, loquuti sunt, omnia fabulis inuoluentes. Vt tamen ad Saracenorum regum compertiora sibi tempora deuenit, nō contemnendus scriptor iudicandus est. Ergo de Abderamene huius nominis quarto Saracenorum regum vnde vigesimo, hæc ad verbum.

AEra *Arabum centesima trigesima octaua, Abderame Moabiæ filius, in Hispaniam venit. Et debellato interfectoq; Ioseph, regnum Hispaniæ inuasit. Dixit Abdemelich filius Abib, se interrogasse nutritium Abderamenis, & de illo veritatem exquisisse, quo patre, quô ve ortus esset genere. Nutritium respondisse. Patrem Abderamenis fuisse Moabian virum rusticum agricolam. Ad quem quum casu Miramolinus diuertisset, hospitio hilariter adceptum, motumq; hospitis humanitate, eum secum duxisse. Moabian tam industrie ac sapienter se gessisse, vt breui*

breui inter Miramolini familiareis & amicos primus fuerit. Deinde interiectis nonnullis, quæ ad rem non faciunt, sequitur. *Hic Abderamen vrbeis omneis & oppida quæ Saraceni habebant in Hispania, in suam potestatem redegit. Bellum quoq; intulit Christianis. Ac Hispali profectus, expugnauit Bexam, Eboram, Sanctirenam, Olisiponem, totumq; Algarbium. Adflixitq; mirum in modum Hispaniæ Christianos. Nec fuit ciuitas, aut oppidum munitum, quod se tueri aduersus potentiam eius posset. Sed habitatores desertis ciuitatibus confugiebant ad Asturiæ Monteis. Hic omneis Hispaniæ ecclesias, quas adhuc integras inuenit, destruxit. Erant autem multæ & egregie fabricatæ, tam à Græcorum, quam à Romanorum temporibus. Hic omnia corpora illorum in quos Christiani credunt, quosq; venerantur, sanctosq; adpellant, rapta de Ecclesiys comburi faciebat. Quo viso, Christiani, vt quiq; poterant, cum talibus his rebus fugiebant ad monteis. & tuta atq; in adcessa loca. Itaq; pleraq; omnia quæ in Hispania erant, secundum Christianorum fidem religiose culta, ad Asturiæ montana sunt deportata. Quum autem adpropinquasset Valentiæ, Christiani qui ibi habitabant, habebant ibi corpus quuiusdã hominis mortui, cui nomen erat Vincentius. Et ipsi adorobant illum, quasi Deum. Et qui corpus in potestate habebant, persuadebant vulgo, quod ille homo cæcos faciebat videre, mutos loqui, & claudos recte ambulare. Ac sic dementabant stultam gentem. Quum autem cognouerunt de Abderamenis aduentu, ti-*

muerunt ne hæc fallacia detegeretur, & fugerunt, corpus illius hominis secum portantes. Et dixit Allibohaces eques ille bonus Facensis, se quum die quadam cum suo comitatu venationis causa venisset ad oram maris in Algarbio, in fine montis qui mare illud ingreditur, inuenisse ibi corpus illius hominis, cũ ijs qui cum illo fugerant à Valentia, qui ibi domũculas fecerant, in quibus habitabant. Et homines quidem obcidisse, pueros autẽ duxisse captiuos, corpus vero hominis illius ibi reliquisse. Hæc Rases.

Vidésne, vir eruditissime, quanta veritate nitantur Lusitani, & quam non fictam, aut hesternam sui patroni historiam proponãt? Omitto Saraceni blasphemias, quas propter detectam veritatem æquiori animo tolerabimus. Sed quod ait, Christianos maxime sub Abderamene adflictos, destructa tẽpla augustissima, multa sanctorũ corpora scelerato igne combusta, multa à pijs in montana tutioraq; loca deportata, quod in laudẽ impuri Abderamenis impurus scriptor cõmemorat, non potuit quidquam ad cognoscẽdas tempestatis illius miserias adferre adcõmodatius, nihil verius narrare. Alioqui, disquirendũ nobis, quonam modo tot sanctorum Hispanorum reliquiæ perierint, quoúe à suis sedibus demigrarint. Vt de cæteris perquam multis sileam, nostræ Eboræ apostolus ac martyr Mãcius Christi discipulus, quo pacto ad *Nouum Pagum*, iuxta Methynnam

nam ad Riuum Siccum deuenerit. Quo *Eulalia & Iulia* Emeritenses ad Eunos in Gallia? *Leandro* illo celebri Hispalensi episcopo, quid factum sit? Imo etiam vestra *Leucadia*, qua ratione Tagi flumen Rheno commutarit? Suum hoc, suoque nomine vocatum, totâque Hispania celeberrimum templum deseruerit, vt *Coloniæ Agrippinæ* peregrinaretur, tantumque hospes habeatur? Vester etiam *Ildephonsus* ille, sanctæ Dei matris amasius, & perpetuæ virginitatis eius propugnator, quur sede in qua cœlesti dono muneratus est derelicta quũ ad Asturas Ouetenseis portaretur maluerit Zamoram incolere? Vnus Rases Maurus breuiter rationem reddidit. *Abderamen*, inquit, *corpora Sanctorum quæ Christiani venerabantur, comburebat. Quo alij metu permoti, cum talibus his rebus fugiebant ad Asturiam, & tutiora loca.* Perge Rase, Quid Vincentio Valentiæ culto adcidit? *Fugerunt*, inquit, *cum eo, ad montem qui in fine Algarbij mare illud ingreditur. Ex dixit Allibohaces.* Quid dixit? Iam superius explicaui. At Castrenses dicunt venisse monachum Valentia. Nescio. Sed si venit sub Carolo Caluo iam olim ablatus inde erat Vincentius. Et si Saraceni se commisit industriæ monachus, certe monacho Punica fide inlusit Saracenus, cui pro Vincentij corpore, vtinam non aliquuius Saraceni corpus colendum

dederit,quo plane Saracenũ ageret. Verum miraculis res comprobata eſt. Et hoc neſcio. Si tamen miracula vlla ibi contigerunt, Dei hoc clementiæ adſcribendum, hominum fidẽ reſpicientis. Nec ſimilia deſunt exempla.

Animi cauſa, narrabo tibi Eborenſium meorum fabellam non inlepidam. Octauo ab vrbe lapide, Salacienſi via, lapidibus enim viarum trium Emeritenſis, Pacenſis, ac Salacienſis, milia paſſuum diſtinguuntur, fanum eſt Virgini Chriſti matri ſacrum, inter diruta à Romanis vſque temporibus ædificia. Locum *Turegiam* vocant. Manent adhuc aquæductus veſtigia, & aquarũ diuerſa conceptacula. Vnum cæteris capacius, *Agonem*, ſeu martyrum *Caueam* adpellant. Aiunt illic obciſos ſine certo nomine martyres non paucos, vna cum epiſcopo. Duas epiſcopo fuiſſe ſorores virgines, alteram *Columbam*, quæ ibi iuxta interfecta ſit, vbi etiam nunc ſacellum exſtat illius nomine. Alteram metu fugiſſe inſequutumque epiſcopum, puellam de perfidia increpaſſe. Illam reſpondiſſe, non mortis ſe metu, ſed ne barbaris ludibrio haberetur aufugiſſe. Orare tamen fratrem, vt virginali imbecillitati id condonaret, ipſeque ſororem ſua manu martyrem faceret, quãdo fugæ nulla ſpes eſſet reliqua. Epiſcopum ſororicidium auerſatum, verum ſatellitibus venientibus innuiſſe, qui puellæ

caput

caput amputarint. Vbi corruit, promanasse fontem aquæ dulcissimæ, qui nunc vulgo *Fons Sanctus* nominatur, lippientibus salutaris. Puellam tamen in fugę pœnam, mansisse innominatam. Hoc peracto, episcopum rediisse ad Agonem, & martyrium consummasse. Sepulcrum eius lapideum, si tamen eius est, visitur in ipso Dei matris fano, vacuum atque apertum. Supra quod mensa exstat lapidea inscripta, columellis suffulta quatuor, ita vt pateat sepulcrum à dextro in sinistrum cornu ingredi, & transire volentibus. Mensa tamen minor est, quam vt monumenti operculum existimari debeat. Arbitrorq; inuentam inter ruinas, in aræ vsum adcommodatam. Solebant illac meare, quibus lumbi dolerent, martyris episcopi auxilio implorato, & absque dubio iuuabantur. Super aram etiam eandem, celebrabantur mysteria in martyris Episcopi honorem. Exstat & pictura, & *Viarij* nomen Episcopo adscriptum. Vnde id, mox aperiam. Hæc vetus fama. Quæ si historia est, ea nimirum obsoleuit, omnia confundente & obliterante barbaria. Mihi, quum Diuorum historias ad Eborensis Ecclesiæ Breuiarium concinnarem, contigit illuc ire, indagandę antiquitatis causa. Fani eius parœcus reuerendus admodum sacerdos, ac loquutuleius non inuenuste ad vocem gestum adcommodans, vt

quiRomæ plusculos fuisset annos, quum me perhumane excepisset, & cognita itineris causa, martyrum siue historiam hanc, siue fabulam denarrasset, oro te, inquam, vir egregie, exstátne scriptura quæpiam quæ id attestetur? Eccam, inquit ille, & quidem luculentam. Duxitque me ad aram. Et ablatis mappis quibus tegebatur, inscriptionem ostendit istiusmodi.

D M S

Q. IVL. MAXIMO. C. V.
QVAESTORI. PROV. SICI
LIAE. TRIB. PLEB. LEG.
PROV. NARBONENS.
GALLIAE. PRAET. DESIG.
ANN. XLVIII.
CALPVRNIA. SABINA.
MARITO OPTIMO

Q. IVL. CLARO. C. V. IIII. VI
RO VIARVM CVRANDA
RVM. ANN. XXI.
Q. IVL. NEPOTIANO. C. I.
IIII. VIRO. VIARVM CVRAN
DARVM. ANN. XX.
CALP. SABINA. FILIIS.

Protenso itaq; digito ad verba illa, VIARVM CVRANDARVM, ecce ait, nomen proprium *Viarij*, Illud autem CVRANDARVM, perinde est, quasi diceret *Curam Curarum*. Cura verò Curarum, *Episcopus* est. Cætera, inquit, nomina, opinor aliorum martyrum esse peculiaria. Continui erumpentem risum, atq; vt vere dicam, stomachum pudore motum cohibui, ne hospiti viderer parum ciuilis. Rem tamen ad Alphonsum S. R. E. Cardinalem principem meum, tunc Eborensem pontificem, detuli. & interpretis bellissimi narrationem, ac vnde *Viarij* nomen effictum esset, exposui. Is imperauit obcludi sepulcrum, ne peruium esset. Mihi verò qui auctor fuerim, non semel vulgus non tam adfectos lumbos, quam lumbifragium est imprecatum. Quod si Diui aut Diuæ quuiuspiam sepulcrum illud est, mihi vtrumlibet propitium esse velim, qui non fecerim vt sanctitati detraherem, sed vt fabulam à sacro dimouerem, & vt ne homines ethnici *Viarum curatores* pro Martyribus colerentur. Iuuabantur tamen, vti prius dixi, *Viario* supplicantes.

Dionisij Episcopi & Martyris sui corpus Parisienses ostendunt. Ostendunt id etiã monachi Benedictini, cœnobij Sancti Hemerami, extra muros Rętobonnę, ad Danubium, in Germania, & quo pacto Imperator Ro-

dulphus

dulphus, si satis memini, integrum corpus ad eos trãstulerit, vetustissima pictura, & scriptis non male ad rem facientibus comprobant. Alteros tamẽ mentiri necesse est. Vtrobique autem miracula & olim, & nunc, facta prædicantur. Quid, quod etiam Iacobi apostoli nostri caput Tolosæ ostẽditur, iactantibus Gallis à Carolo Magno eò ex Callæcia deportatum, votumque susceptę peregrinationis, *Compostellæ* nequaquam solui, nisi Tolosæ finiatur? Poteram huiuscemodi rebus longos implere commentarios. Cæteroqui, non ignoramus quã Gallica natio ad similia comminiscenda proba sit artifex. Lusitanis subrudi, vt perhibemur, genti, neque tanta inest solertia, neque tam venalis reliquiarũ sanctarum cultus populo exhibetur. Adfatim tamen suppetunt rationes, quibus Castrensium istam, siue confictam non ita pridem, siue temere ab illis creditam monachilis furti historiam, expugnemus atque refellamus.

Atqui, Valentini Castrensibus subscribunt. Si monachus industria & indicio Mauri clam corpus abstulit, Valentinis inscijs, quantum momenti habere debet istiusmodi subscriptio? An non similis illi erit testimonio, quod à militibus Iudæi coëmerunt, *Venerunt nocte discipuli eius, & furati sunt eum, nobis dormientibus?* Exspectemus quid respon-

deant Valentini. Resciuimus hoc postea. Quam mox *postea*? Nuper vtique. Nam qui hoc adfirmet, ante octoginta, aut summum, centum annos, nemo est. Lusitanorum verò adsertio resq; gesta, superat quadringentos.

Rases autem quum librum suum scripserit Dalharab Miramolino, qui regnare cœpit anno Arabum. CCCLXVI. hoc est, anno Christi. DCCCCXC. nimirum æquat annos quingentos septuaginta. Valẽtini autem dissipatam à Castrensibus famã sequuti sunt, nostris nondum scripturientibus, sed contentis suum sibi domi habere. Optimam vero Castrenses Valentinis commenti sui fautoribus gratiam retulerunt, dum publicè in templis canunt.

Hoc thesauro spoliantur
Valentini, dum fœdantur
Idolorum scelere.

Quod quam verum sit, ipsis expendendũ relinquo. Miseros æque fuisse, ac Hispanos reliquos arbitrabar, Idololatriæ deditos nõ putabam.

Cæterũ, turbat te Platinæ auctoritas. Ne turbet. Nam quum eius hæc verba sint, *Sunt qui dicant huius temporibus beati Vincentÿ corpus è Valẽtia Citerioris Hispaniæ ciuitate, à quodam monacho in pagum Albiensem Vlterioris Galliæ deportatũ.* Quid heic inest, quo magnopere commoueare? *Sũt qui dicãt.* Qui sunt isti qui dicũt?

Castren-

Castrenses, opinor. Atqui, sunt qui non dicant, quiq; veriora dicant. Platina igitur nihil adserit, tātum esse ait qui dicant. Præsertim quum in Ioanne. IIII. contrarius ipse sibi videatur. Vbi etiam prudenteis expendisse velim, qui quadret, Anastasij in Perside passi corpus, quod Veneti ex Constantinopoli translatum possident, cū Vincentij corpore coniungere: nō addito vnde, aut quonam modo factum id fuerit, vt iam neque heic, neq; illic pondus vllum habeat Platinę adnotatio. Tu verò, non pluris facies Diuū Bonauenturā in beati Antonij Olisiponēsis historia, quā omnia Romana præferūt breuiaria, ita adserētē? *In Hispania, ciuitate Vlyxbona, quæ ad obcidentalē regni Portugaliæ plagam, in extremis terræ finibus sita est, quadā prægrandis ecclesia in honore gloriosæ virginis Dei matris fabricata cōsistit, in qua pretiosum beati Vincentij martyris corpus honorifice requiescit.* Si scriptorū tēpora cōponas, hic multo antiquior est. Si ꝑsonas, quāto hic illo grauior nihil attinet dicere.

Arbitrabar iam me Labyrinthū hūc egressum, quum relegens epistolā tuā, denuò hęsi ad id, quod te in chronico Prędicatorū reperisse cōmemoras, Marię Magdalenę, & beati martyris *Vincentij* reliquias esse Massiliæ. At ego me iuuenem commoratum fuisse aio Massiliæ, vltra biennium, & ibi apud *Aquas Sextias* hypodiaconatus, & diaconatus ordinem

quam ſtyli acumine explodenda eſſet, niſi tu eruendæ veritatis cauſa, ſicuti præ te fers, multo illis neruoſius, argumenta quædam in nos congeſsiſſes, quibus obcurrere neceſſe mihi ſit. Age, Braulio ſanctus Cæſarauguſtæ Pótifex, vt ais, horum trium martyrum hiſtoriam poſteriati mandauit, & Braulionis nomen liber Toletanæ eccleſię *Smaragdinus* adpellatus, oſtentat. De auctore certi nihil habebam, nec Eccleſiæ noſtræ Eboréſis lectionarius, ſane ante annos trecentos viginti ſcriptus, nomé auctoris prędfert. Credo tamen libro iſti Smaragdino, oppidò nó inuitus. Opuſcula enim, & vitam *AEmiliani* monachi ſcripſiſſe illum teſtatur *Sanctus Ildephonſus*, in libello *de inluſtribus viris*, quam ego in hoc Eborenſis Eccleſiæ lectionario reperi, tamen imperfectam, videlicet, vſque ad principium capitis, quod incipit, *Sed referam quod etiam latrones pertimeſcant*. Ex qua tamen, & ex epiſtolis eius ad Sanctum Iſidorum, quæ in libris *Etymologiarum* exſtant, & in additamento quodam ad librum Iſidori etiam *de viris inluſtribus*, non paulo caſtigatiore ac limatiore fuiſſe ſtylo depreéditur. Vtquumque tamen ſit, quantumquumq; longo parumque neceſſario vſus fuerit exordio, ſeculo illi indulgeamus, & quid ſcripſerit, non quo ſtylo ſcripſerit, expendamus. *Datianum* ait, *poſtea quam Hiſpaniam ingreſſus*,

Feli-

Felicem, Cucufatem, Eulaliam Barcinone, & alios grauißimis tormentis interfecisset, & Cæsaraugustā sanguine polluisset, Compluti Iustum & Pastorem ferali immanitate sustulisset, & Toleti Leucadiam virginem custodiri fecisset, Elboram profectum, cōscēdisse in aulam, officiumq́; præmonuisse, vt indagine præmissa Christianos quosquūq; inuenissent, tribunali suo præsentarent. Statimq́; repertum adolescentem nomine Vincentium, satellites Præsidi stitisse. Quem diutius interrogatum, quum à Christi confeßione amouere non posset, iußisse duci, vt Ioui sacrificaret, lapidemq́; ante aram simulacri emollitū vt cretam figularem, pedis vestigium expreßisse, qui vsque ad eam diem perseueraret. Ex quo prodigio, quum ortus esset tumultus, domum fuisse reductum, datis in triduū inducijs, custodia remißiore, neque prohibitum conueniri. Eo triduo, Vincentiū multarū lucrum fecisse animarum. Tandem germanarū fletibus deuictum, cū illis noctu fugā adripuisse, & alacri profectu, cornipedū euectatione (vtar enim ijsdē auctoris verbis, postea mihi ad respōdendū necessarijs) *Abulā cōtēdisse. Fuga cognita, quuiusdam sacrilegi indicio, immissos qui fugienteis persequerentur. Qui eos Abulæ cōpreensos tormētis adfectos varijs, inliso tādē fustibus super lapides cerebro martyres effecerint.*) & quę sequuntur reliqua.

Controuersum modo scriptores quidam vestri faciunt, apud te, quænam vrbs sit, quæ heic *Elbora* dicatur. Respondeat tibi Romana Curia, ecquem Episcopum hactenus, modo Ar-

do Archiepiſcopum norit Elborenſem, ecquod Breuiarium, ecquem ritualem ſacrificiorum librum ad ſanctæ Elborenſis Eccleſię vſum admiſerit. Ecquam Sãctus Antoninus Florentinus pontifex, ecquã veſter Rodericus Toletanus intelligãnt, ipſorum ſcripta ijs qui in media luce caligabunt, palã teſtificentur. Neque enim ignota eſt Eccleſia, quuius reditus tam opimi ſunt, vt annua ſola pontificũ quinquaginta ducatorũ miliũ, noſtratis monetæ ſint, fabricæ annuus reditus octo milium, ſacerdotiorum qui *Canonicatus*. vocantur, vnumquodq; mille ducentorum ducatorum, interdum mille ac trecẽtorum ſummã exæquet. Vt pręter Toletanã veſtrã, haud ſciam, an alia in Hiſpanijs ditior habeatur. Quod non multũ ſane ad rẽ facit de qua agimus, ita non parũ tamẽ ad notitiam. Quũ itaque Datianus Elborę conſcẽderit in aulã, vt libellus ait, quã putemus Elboram, niſi quæ *Elbora* & eſt, & vocatur? vbi incunabula sãctorum Martyrũ fuere, vbi fanũ eſt, quæ domus illorum fuit, vbi adſeruatur lapis ille, qui pedis veſtigiũ expreſsit, vbi etiã dũ manet Cogominiorũ familia, quæ ad illos ptinere memoratur, ab illa vetuſtate etiã inter Arabes aliquatenus religioni habita.

At ex veſtris, obſcuri quidam & ignobiles, vt Diuorũ originis poſſeſsione nos euertant, *Talaueriam* diœceſeos veſtræ oppidum

Elbo-

Elboram fuiſſe olim vocatam fabulãtur. Adſertionis tamen ſuæ teſtem aut auctorem ex probatis & vetuſtis aliquem neque laudant, neq; proferre vnquam poterunt. Neque oſtendẽt *Talaueriam* epiſcopum habuiſſe peculiarem, quum toties in Concilijs plerisque Toletanis, & in Iliberitano, atq; in vetuſtiſsimo Emeritenſi quod apud me eſt, *Elborẽſis* epiſcopus & interfuerit, & ſubſcripſerit. Neq; ſaltem Inſcriptionem antiquam aliquam producent, ex qua colligi idem poſſit, quum talibus ijs noſtra hæc referta ſit. Et ſi ſatis *Talaueria* recordor, nam iuuenis eam vidi, nulla ibi ſunt antiquitatis indicia, ſed omnia Maurorum tempora præ ſe ferunt, quum noſtræ vrbis interior murorum ambitus, porticus excellentibus columnis Corinthijs, Aquæductus olim à Sertorio exſtructus, à Diuo Ioanne. I I I. noſtra ætate reſtitutus, Inſcriptionesque variæ, & ſtatuę, noſtram proclamẽt antiquitatem. Raſes ille à me ſuperius citatus, quum de termino Toletano loquitur, *Talaueriam* ait conditam ſuper flumẽ Tagum, in diuiſione limitum inter Mauros & Chriſtianos. Et muros laudat ab altitudine & turrium frequentia, additq; Miramolinum poſtea Machometi filium, ſub æra Saracenorum. CCCXXV. ibi caſtrũ iuſſiſſe ædificari. Neque hoc dico, vt *Talaueriam* minoris, quam æquum eſt, faciam. Scio inſig-

insigne esse oppidum, nobilibus familijs decoratum. Admodum esse vetustum nō scio, nisi hoc ostendat vetustatis indagator aliquis, & quo nomine adpellandum sit, non vt ariolus, sed vt verus disceptator, ex tenebris obliuionis eruat. Nā *Elboram* fuisse, nemo vnquam euicerit. *Talabrigam* Nebrissensi Antonio adserenti nequaquam credas, quū *Talabriga* ex Plinio, & Antonino Pio, ad flumen Vaccam, non procul ab Auiariensi oppido situm sit, vt ex Resendij scrinijs candide communicatis, non cādide vsurpatis, *Gaspar Barrerius* noster satis ostendit. Sed prodierunt, ais, modo in *Ptolemæum* scholia quędam, cum locorum aliquot nominibus vel mutatis, vel declaratis. vbi legitur, *Libora, Elbora olim, Talabriga hodie, vulgo Talauera.* Quid istis scholiastis credas, qui ex imperitorum relationibus, sine vllo situs examine, in typographorum gratiam, quo vendibiliorem librum faciant, ita ludunt? Etiā eadem scholia *Iuliām Myrtilin Vabenām* interpretantur, & *Lancobrigam Conimbricam*; & *Scallabin, Iulium Præsidium* Plinio cognominatam, *Tregillium* somniant, & pleraque alia delirationi similia, atque vbi Ptolemęus *Oliosipon* scripsit, addiderunt, *vulgò Lisbona, Salacia Plinio, Vlysseia Straboni*; Vadiani hallucinatione decepto scholiasta. De qua re in Vincentij mei scholijs, satis disserui. Prætereo Gesneros, & Ca-

S lepi-

lepinos, aut in Calepinum additiones, Lucam Tydensem, & nebulonem Marinæum, vniusmodi notæ homines. Quid enim attinet istos inculcare, qui nullo veritatis fundamento nituntur? Imitabimúrne bellum illum scriptorem, qui pro gestis Sanctæ *Marinæ* virginis & martyris apud Aquicaldenseis ad Limiam passæ, *Sanctæ Margaritæ* à primo principio ad extremum vsq; finem gesta nobis obtrusit, se Theotimum faciens, & Antiochiam ad quam Olibrius venerit, Tyden Callæciæ ciuitatem somnians? Nihil audacius imperitia. Instituti Diui Francisci monachus, homo vestras, qui se cognominabat *Valentiolam*, linguacissimus concionum actor, firmis lateribus, neq; parum multitudini iucundus, cordatis ob nimiam adrogantiam & vanitatem non perinde gratus, quum aliquando Conimbricæ de suggesto concionaretur, *Totus*, inquit, *ciues gaudio perfundor, quum vrbem hanc antiquissimam, & campos hos intueor, vbi ciuium vestrorũ auxilio, Pompeij filios Cæsar memorabili prœlio superauit. Hæc enim est Munda illa famigerata, de qua Lucanus cecinit.*

Vltima funesta concurrant prœlia Munda.

Nec defuerunt, quibus hac vaniloquentia persuaderet, Conimbricam fuisse Mundam, præcipue nõ abludente fluuij nomine, quod etiam pridem Rodericus Toletanus in ambiguo

biguo reliquerat. Valentiola dixit, & in ſacra concione dixit. Satis hoc eſt. *Venit Elboram Datianus.* Quis hoc dixit? Braulio vetuſtus & grauis auctor. Ita enim vocabatur, quæ nunc Talaueria. Quis hoc dicit? Non Braulio, ſed Valentiola quiſpiam, & temerarius iſte neſcio quis. Satis id eſſe putemus? Nobis certè non eſt, qui Elborã incolimus.

Teneo te inquis Reſendi, qui in Eborenſi hiſtoria, *Elboræ* nomen repudiaſti, *Eboræ* adſeruiſti. Ita certè. Ergo martyres tutemet alienos à veſtra vrbe facis qui Elborenſes fuerint, veſtra autem vrbs *Ebora.* Si efficax argumentatio iſthæc tua eſt, erit & iſta ſimiliter. *Diuus Antonius Patauinus*, ex Vlyxbona Luſitaniæ vrbe fuiſſe paſsim ſcribitur. Ego vrbem quam vulgo *Lisbonam* dicimus, *Oliſiponem* dicendam, non *Vlyxbonam*, contendo. Ego igitur Diuum Antonium alienum ab Oliſiponenſi vrbe facio? & me auctore, quærenda in Luſitania *Vlyxbona* eſt, quæ Olyſipo non ſit? Nonne vides heic, vir doctiſsime, non agi de loco, de quo ſatis conſtat, ſed de vero & antiquo nomine ſeculi eruditioris? Alioqui, ſanctus Iſidorus, Hiſpalenſis non eſſet, quem in libris manu ſcriptis vbique *ſpalenſem* legimus, eumque ad Spalenſeis Citerioris Hiſpaniæ populos relegabimus. Rudior ætas in nomine hoc principium mutilauit, Olyſiponem

vero, in Vlyxbonam inuertit, propter conditorem, iam inde ex Sancti Isidori temporibus, & retro, vt patet ex primo capite libri decimi quinti etymologiarum. Nostræ vrbi, literæ vnius adcessio, ex *Ebora Elboram* fecit, etiã ex mille & amplius annis, vt ex Concilijs à me supra memoratis liquebit, tametsi nuperrime, typographis quibusdam alterũ illud ac vetustius nomẽ magis adriserit. Nomen igitur quo politiores vtantur rediuiuũ facio, non diuersas vrbeis constituto. Fecêrunt idem Legionenses, vt ipse etiam fateris, vbi reliquiæ horum martyrum modo esse dicuntur, id negante Abulensi populo, addito insuper; *Quæ ciuitas est regni Lusitaniæ*, Ioannes quoque Maldonatus Burgensis. *Apud Eboram ciuitatem*, inquit, *Vincentius adolescens compreensus est*. Siue itaque *Elboram* dicas recẽtiori vocabulo, siue *Eborã* prisco ac proprio, quo vsi sunt Pomponius Mela, Plinius, & Antoninus Pius, & habent inscalpta à Romanis vsque saxa, vna eademque ciuitas nostra est, fauente etiam nobis *Muzarabum Ecclesiastico ritu*, qui in vestra vrbe ex illa vetustate superest. Quuius tu si magni auctoritatem pendis, facis quidem recte, & mecũ sentis, atque ego vicissim tecum. *Elbora* igitur, *Ebora* nostra est, quã Ecclesiæ iam ante Constantini Magni tempora, *Elborã* vocare maluerunt, vt peruulgatum nomen hoc aliubi

quæ-

quærere, hominis nequaquam ſani merito eſſe videatur.

Pergis deinde argumẽtari, ab itinere Datiani. Et interrogas, quinã itineris ordo ſit, à Toleto proficiſcẽtem prius Elboram hãc noſtram deueniſſe, quam Emeritam, quum rectum eſſet iter à Toleto Talaueriam, oppidum iam tũc nobile, inde Emeritam? Tũc quænam loquutionis ratio, profectusq; Elbora, Emeritenſem adgreditur ciuitatem? quum potius dicendum eſſet, *regreſſusq; Elbora.* Videri igitur, non mala niti ratione, iſtos qui *Talaueriam Elboram* dicunt. Sic enim, rectum itineris ſeruari ordinem, neque vim inferri loquutioni, ſed ſponte fluere, *Profectuſq; Elbora, Emeritenſem adgreditur ciuitatem.* Si aliud non haberem expeditius, reſponderem, itinerum me Datiani neque menſorẽ, metatoremúe eius fuiſſe, neque cogendum rationem reddere, quur prius Bboram, quã Emeritam veniſſet, præcipue quum non ſolius Luſitaniæ, ſed Hiſpaniæ vniuerſæ Præſes fuerit. Equidem neſcius non ſum, Hiſpaniam diuiſam primum in prouincias duas, *Citeriorem & Vlteriorem.* Per bellum poſtea Macedonicum, in vnam tantum redactam. Rurſus, Q. AElio, M. Iunio coſſ. cẽſuiſſe patres, vt duæ fierent, quod refert Liuius quintæ decadis libro quinto. Treis inde factas, *Tarraconenſem, Luſitaniam, ac Bæticam.* Tarra-

conensi post id in treis diuisa, propter magnitudinem, creuisse prouinciarum numerū, & factam quartum *Callaciam*, quintam *Carthaginiēsem*. De *Lusitania* quoque diuisa, paulò inferius. Omitto *Baleareis* insulas, & adnumeratam Hispaniæ Tingitaniā. Ex his quinque prouincijs, *Bæticam Lusitaniam*, ac *Callaciā* consulareis fuisse, *Tarraconensem & Carthaginiensem*, præsidibus gubernari, ante omnino corruptam reipublicæ administrationem, & nouum Comitum inuentum, quorum alicubi in Iustiniani Codice fit mentio. Sed quum *Præsidis* nomen generale sit, vt Martianus Iurisconsultus adfirmat, ff. *de officio Præsidis*, complectaturque & *Proconsules*, & *Cæsaris legatos*, & omneis, qui quoquo modo prouincias regerent, nec vnam tantum, sed multas, vt eodem Titulo testatur Vlpianus, hisce verbis: *Qui vniuersas prouincias regunt, ius gladij habent, & in metallum dandi eis potestas permissa est*, nos quum Datianum Hispaniarum *Præsidem* vbique legimus, vel Augustorum legatum intelligamus, quemadmodū Papinianus interpretatur, vel Præsidem vicaria ac plena gladij & in metallum dandi potestate. Talis certe fuit carnifex ille. Hispaniarum *Præsidem* eum vocat Martyrologij auctor, siue sit Hieronymus ad Chromatiū, siue presbyter Bedas, vt alij habent libri. Sufficiat locus vnus, XI. cal, Februa-

bruarij, *In Hispanijs, ciuitate Valentia, sub Datiano impijssimo Hispaniarum Præside*, &c. Hispaniæ igitur vniuersæ Præses, poterat à Toleto hac illac euagari per conuentus, antequam Emeritam deueniret, pro renata, vel arbitrio. Verum diuerticula non quæramus, donemusque tibi non tamen necessario, recta venturum fuisse illum Toleto Emeritam, ac Talaucria transiturum oppido nobili, quod tu tantum abest vt ostendas, vt neque si iam erat, probare possis. Dixi superius recentius ædificium videri. Fuerit tamen, & fuerit quantum velis nobile, *Elbora* certe non fuit. Neque Antoninus itinera duo *ab Emerita Cæsaream Augustam* quum proposuisset, alterum alia, alterum Toleto, nullius siue *Ebora*, siue *Elbora*, inter Emeritam ac Toletum meminit, non prætermissurus vtique, si vlla exstaret, præsertim quuius esset habenda ratio, propter nobilitatem. Recta ergo Emeritam venisse concedo, & inde Elboram, Elboram tamen nostrã hanc intelligo. Quur igitur prius Elboram venisse legitur, quam Emeritam? Braulio itinerarium Datiani scribendum non suscepit, sed sanctorum martyria & agones. Atq; vt quiq; præcesserant, ita narrauit prius. Aliorum summatim, nominatis tantummodo locis, horũ triũ explicatius. Integer enim contextus est. Et si dicas disipatã postea fuisse historiã in

ſingulos quoſque, potero abs te quærere, quur longiſsimum illud exordium, *In diebus* dum poſt corporeum Saluatoris aduentum, *illis*, in ſolis his repetatur, non vtique neceſſarium, ac nō item in Felice, non in Cucufate, quamquam hic ſub Rufino legitur effectus Martyr, non in Barcinonēſi Eulalia, de qua nihil me hactenus potuiſſe inuenire, doleo neque mediocriter, non in Cæſarauguſtanis Martyribus *Vincentio, Encratide*, & duo de viginti eius ſocijs, in quibus Braulio Cæſarauguſtæ Pontifex plus debuiſſet immorari, nō in Complutenſibus *Iuſto atque Paſtore*? *Leucadiam* quoque obiter commemorauit, ſic inquiens, *vinclis recludens Toleto Leucadiam virginem Elboram properans.* &c. Quamquam in *Leucadiæ cōfeſſione* (ſic enim codex noſter habet titulum) idem exordium totidem verbis reperitur, addito dialogiſmo inter ipſam & Datianum. De quo quid ſentiam poſtea. Tranſilijt vero Emeritam Braulio, quoniá carnificinam tunc ibi non exercuit lupus ille. In Eulaliam ſæuijt, inquies. Ego pace tua id inficior. Siquidē *Eulaliam* Datianus martyrem non fecit, ſed Calpurnianus Prouinciæ Luſitaniæ præſes, qui à Maximiano imperatore & perſequutore fuerant directus, ad Chriſtianorum perſequutionem, vt geſta ipſa teſtantur. Probabileq; eſt, fuiſſe hoc poſt Datianum, Diocletiano orientale imperium

perium gubernante, obcidentale Maximiano. At Datianus à Diocletiano & Maximiano pariter missus legitur. *Laurentius Padilla*, Calpurnianum Datiani legatũ facit. Quod equidem neque adsero, neque refello. Proconsules habere solitos secum legatos, scribunt Iuriscõsulti, ff. *de offic. Proconsulis.* Quod etiam ostendit Marianus Scotus, in *Notitia Prouinciarum.* Sed quũ Legati iurisdictio arctis admodum limitibus cõtineretur, vt neque animaduertendi, neque coercendi, vel atrociter verberãdi ius haberet, sed ad proconsulẽ eum oporteret, siquid grauius oriretur, referre, non mihi *Calpurnianus* tantum Legatus videtur potuisse muneris sui metas transilire, nisi extraordinariam à Proconsule mandatam fingamus potestatem. Quod posse fieri negat Vlpianus. Gesta diserte aiũt Calpurnianum Præsidem fuisse Lusitaniæ à Maximiano missum, non autem à Datiano legatum. Quod etiam si maxime fuisset, illud mihi abunde est, *Eulaliæ* martyrium ad Datiani præsentiam non pertinere. Eaque propter, & si Emeritam antequam Eboram venisset, aduentus ad Emeritam non meminisse Braulionem. Reditus vero meminit, quia tunc Christianos ibi adflixit.

Neque est quur offendaris loquutione, *Profectusq; Elbora*, quum; *regressusq;*, fuisset rectius. In scriptore non tam eruditæ dictio-

nis,nimia exactio ista est.Et nescio an Braulionis sit coronis hæc, *historiæ Vincentij ac sororum*, eôque magis, quod in ea Datianus *Euˑlaliam* martyrio consecrasse dicitur, neque plene, sed vix sextem verbis, quod est contra gestorum fidem. In nostro hoc Eborensis Ecclesiæ libro, si non *Smaragdino*, saltem membranaceo, valdeque antiquo, ea certe coronis non est. Sed conclusa martyrum historia per basilicæ constructionem, additur. *In qua, si qui puro corde, fideli deuotione, & fide prompta orauerint, statim petita vltro adueniunt, & omnis infirmitas amouetur, per eum qui sanctos suos coronauit, per bonam confeßionem. Cui est honor & gloria, virtus & imperium, & potestas, in secula seculorum, Amen.*

Appendicem verò illam in Leucadię confessione, quæ posteaquam in ergastulum illam detrusam dicit, statim verba hæc subdit. *Properans itaque Elboram, officium præmonet vt indagine percurrente, Christianos quosquumque inueniessent eius tribunali præsentarent. Statimque repertum adolescentem quendam nomine Vincentium, quuius meritum nomini comitabatur suo, comprcensum eius conspectibus sistunt. Quem cum Sabina & Christheta eius sororibus in Abulensem vrbem persequens, digna Christo munera consecrauit. Profectusque ab Elbora, Emeritensem ingreditur ciuitatem, & illico tribunal sibi præparari*

rari præcepit, multosq́ sanctorum crudeliter fusos, transmisit ad dominum, inter quos, sanctam Eulaliam multis verberibus adflictam, igne adplicato, Domino consecrauit. Quumque in Toletanam vrbem ad beatam Leucadiam percurrisset fama genibus in oratione positis, in eodem quo retrusa tenebatur confeßionis loco, completa oratione, suum domino commendauit spiritum, qui martyres & confessores suos coronauit in pace. Ipsi honor & gloria, virtus & imperium, in sæcula seculorum. Amen.
Arbitrarer ego non à Braulione, sed ab aliquo alio, qui de eadem fidelia duos voluit dealbare parietes, fuisse additam, vt Leucadiæ confésio cóncluderetur. Aut si ad Braulionem referri placeat, vel hoc de Eulalia interiectum ab alio est, vel Eulaliæ martyrium Braulio ignorauit. Quam notam sancto & docto viro inustam Medius Fidius nollem. Sed redeamus ad propositum, à quo pauxillum declinauimus.

Elboræ itaque, siue cò recto venerit itinere, siue flexo, prius fuit, quam in Christianos Emeritæ gladium exsereret. Sed instas. Quid opus erat Eboram, tametsi municipium, descendere? quum nó venerit vt Præfectus municipij quuiusquam esset, verum vt Emeritæ, quæ Lusitaniæ erat Metropolis, & iuridicus conuentus, resideret. Hoc

vnde

vnde colligas non video. Datianus, vt ante dixi, Hispaniæ vniuersæ Præses fuit. In Hispania autem, multi *Iuridici* erant *conuentus*, quos regionatim circum ire, ex officio teneretur. Quamquam si vnius prouinciæ Lusitaniç Præses fuisset, non ideo Emeritæ residere, tanquam regem in regia, eum oporteret, Iuridici etiam conuentus erant & *Scallabis, & Pax Iulia*, quæ eodẽ iure vtebãtur, quo *Emerita. In Lysitania*, inquit Iuriscõsultus Paulus, *Pacenses & Emeritẽses iuris Italici sunt*. Quũ tres itaque distincti Conuentus essent, quur Præsidi Prouinciæ Lusitaniæ sedem adsignes *Emeritam?* nedum præsidi Hispaniæ vtriusque? Quamquam autem *Ebora* neq; colonia esset, neque conuentus, sed tantum municipium *Latij* veteris, nobilitate tamen, & ædificijs, quorum alia etiamdum exstant integra, alia semidiruta, *Pacem Iuliam* vicinam, coloniæ & conuẽtus dignitatę inclytam, superabat. *Emeritam*, si theatrum, naumachiã, pontem, & Tropæi arcum excipias, pœne æquabat. De quibus alio egi loco. Et quum aliquando de agri finibus cum Pacensi colonia, contenderit, vt statim ostendam, videri mirum non debet, si litis componendæ causa, eo venerit Datianus. Testatur hoc meta lapidea, via Pecensi, in colle iuxta vetus, semidirutumque oppidum Aureolam, quod
ad

ad archidiaconũ tertiæ ſedis Eccleſiæ Eborenſis pertinet, quæ ex ea parte qua Pacem Iuliam ſpectat, credo coloniæ & conuentus habita dignitatis ratione, huiuſmodi Inſcriptionem habet.



Verſus Pacem Iuliam

D D. N N.
AETERN. IMPP.
C. AVR. VALER
IO. IOVIO. DIO
CLETIANO. ET
M. AVR. VALERI
O. ERCVLEO
MAXIMIANO
PIIS. FEL. SEMPER AVGG

TERMINVS. INTER
PACENS. ET. EBORENS.
CVRANTE. P. DATIANO
V. P. PRAESIDE. HH.
N. M. Q. EORVM
DEVOTISSIMO

HEINC PACENSES

Ex altera vero parte Eboram versus, hæ tantum cernuntur in media meta literæ. HEINC EBORENSES.

Præterea quod de fuga argumentaris, tãquam vero sit similius à Talaueria Abulam propinquam vrbẽ fugisse, donarem forte, si duas admitterem Elboras. Sed quum vna tantum sit, exiguam, ac potius nullam vim habet argumentatio. Quasi vero necessario sequatur, ideo Talaueriam Elboram esse, quia illi quam Eboræ vicinior sit Abula. Vt impeditiorem profectionem eam fingas, non euinces, vt Elbora heinc Talaueriam demigret. Quod autem ad impedimẽta fugæ attinet, non erant tam delicatæ Vincentij sorores illæ, quam modo nostræ sunt mulierculæ, quæ prius quam amoliri ceperint, integer transit annus. Et alioqui, fugere norunt etiam delicatæ, inquisitoresque fallere. At carro vectas inquis. Id enim ex illis verbis intelligi vis, *Cornipedum euectatione*. Quonam pacto? *Cornipedes*, equi sunt, vt eos vocat Maro, dictio poëtis quam oratoribus aptior. *Equo vehi ac vectari*, bene Latine dicitur, vel dorso nudo sine stragulo, vel ephippio. Vbi heic *carrus* lateat, nondum video. Non ægre tamen id concederem. Nam nostra etiam ætate, carrucis contectis vsque ex Celtiberis, Vardulis, & Carpetanis, ad vrbem hãc mercatores nonnulli veniũt, citato

citato mularum carrucariarum curſu multum itineris quotidie conficientes. Quod ſi illo tempore ita fiebat, ſane & fugere celerius, & commodius latêre potuerunt, negata curioſis introſpiciendi facultate. Ad hæc. Etiam ſi inſequuta die cognitum de fuga eſſet, incerto quò quà ve abijſſent, retardanda erat inſequutio, donec indicium fieret. Quod ſatis illis erat ad longius euadendum.

Neque mouêor, quod Talaueriæ quoque dicatum illis templũ eſt. Adde, ſi placet, noſtro quod hactenus fuit nobilius. Nam modo, incentore me, elegãs admodum ac capacius noſtra vrbs exſtruit. Neque item, ſi domeſtici eorum lares effingantur, oſtendaturque in lapide pedis veſtigium, ſicuti apud nos. Ei enim qui Talaueriam in Elboram transformare potuit, quantum erat domus vnius facere metamorphoſin, & veſtigium adſimulare? Quuius mendacio recepto ſemel, facile fuit templum ciuibus creditis, in oppido nobili atque opulento ædificare. Quod autem veſtigium & heic & iſtheic dicis plantæ pedis formam non ſatis exprimere, iſthuc quidem ita apud nos eſt. Sed pro hoc noſtro reſpondebo. Ante quadraginta ab heinc annos, adprime expreſſum viſebatur. Feminarum poſtea pia ſed incõſulta religio, ramenta quædam atque puluiſculum inde, quæ ægrotantium collo ſuſpenderent,

eraden-

eradentium, formam abstulit.

Porro tua illa solicitudo, Talaueriam Elboræ vel Talabrigæ nomine exclusam, aut *ἀνώνυμον* omnino mansuram, aut necesse esse Liboræ ei nomen adaptare, neque enim probas *Aquis* nomen fuisse, quod illi vester archiepiscopus tribuit, quodque vbinam inuenerit, te dicis ignorare, illud item, quod postea leuiter, quasique aliud agens, iniecta corrupti nominis suspicione, diffisus, vt adparet, Elboræ nomen Talaueriã posse trahi, cardinem quæstionis verti dicis in nomine vel Eboræ vel Liboræ in Elboram deprauato, non parum mihi displicet. Est enim hoc hominis inferre iniuriam meditantis, & litem nobis alteram ex altera constituentis. Iamne non placet parenthesis, quam historiæ vestri interspeserunt, *Elboram vocatam olim, quæ modo Talaueria sit*? Iamne vel ab Ebora, vel à Libora, calumniæ male textæ, penitusque ieiunæ, suppetias petendas etiam ipse decresti? Etiamne *Talaueria Ebora* vocata olim est: Gratiam Braulioni habeo, quod Elboram dixit, & si minus erudite, minus tamen parti nostræ fauturus, si Eboram dixisset. Fuit vetus Carpetaniæ vestræ oppidum *Ebura*, per quintam vocalem, & secunda intenta syllaba, ad quod, vt decimo quartæ decadis libro Liuius auctor est, Q. Fuluius Flaccus Prætor, memorabili prælio, ad viginti tria

Celtiberorum milia, die vna cecidit. Quuius oppidi inter Carpetanas vrbeis etiam meminit Ptolemæus. Fuit quoque *Ebora* Castellum, in Gaditano litore, inter Bætis æstuaria, Pomponio & Plinio, licet Hermolaus Barbarus *Ceram* legat. non *Eboram*. Sed ego Melæ terræ eius indigenæ adcedo. Strabo lib. tertio Eburam eam vocat. ἐντεῦθεν δὲ ὁ τοῦ βαίτιος ἀνάπλους ἐστὶ, καὶ πόλις ἔβουρα, καὶ τὸ τῆς φωσφόρου ἱερόν. Vtrumque tamen oppidum hoc vetustate intercidit. Est & nostra *Ebora* quæ vetustati non cesſit; imo longe auctior est, in *Elboram* Ecclesiastico vsu mutato iam pridem nomine. Quas turbas igitur conciuisset nomen tribus communicatum, si vni tantũ peculiare in has nos deduxit difficultates, inuadẽtibus in alienam gloriam ijs qui ne vestigium quidẽ vel tenue, nominis huius posſunt proferre? Vertant se refractarij in alias atque alias formas, omnem moueant lapidem, Elboram venisse Datianum, librorum omnium cõsensu, scripsit Braulio. *Elbora* præter nostram, nusquam comparet. Agite, aliud commentamini. Tu modo rimam aperis. ad Liboram saltem confugiendi. O inopem semper consilij, & imbecillam apertę varietatis inficiationẽ. Cui quasi nomine cariturę metuebas, in sex iam nomina concreuisse videtur, *Talabrigam, Eboram, Elboram,*

ram, Liboram, Aquas, Talaueriam. Septimum addas licebit, *Deobrigam*, quod nō indocti quidam ſunt opinati. Ex ijſq; omnibus, nullum illi proprium oſtenditur, niſi id quod habet. Nam non eſſe *Talabrigam*, perſuaſus ipſe iam es. *Eboram* excludit parentheſis à veſtratibus interiecta, *Talaueriam Elboram fuiſſe vocatam.* De *Elbora* confido me euiciſſe. *Aquas* ipſe nō adgnoſcis. *Deobrigam*, forte nouitium reputabis inuentum. *Liboram* videris anteponere, vt deprauationi viciniorem. Memineris tamen quonam pacto ſis ratiocinatus. Si *Talaueria*, inquiebas, in Tarraconenſi prouincia ſita eſſet, ſicut & *Toletum*, non autem in Luſitania, amota eſſet omnis dubitatio. Vis itaque in Luſitania ſitam eam eſſe. Si in tua ratione perſiſtas, iam Talaueria Libora non eſt. Libora enim, non Luſitaniæ, ſed Carpetaniæ ciuitas eſt, id atteſtante Ptolemæo. At Carpetania, quuius caput Toletanos facit Plinius, pars vtique Tarraconenſis eſt. Igitur & Libora ad Tarraconenſem pertinet. Talaueria ergo, ſi Libora eſt, non ad Luſitaniam, ſed ad Tarraconenſem prouinciam eſt referenda. Quod & ipſe poſtea confiteris. De hoc viderint antiquitatis curioſi, & ex tot nominibus ſeligant, quo Talaueriam vocari velint. Si oppidū vetus eſt,

ſaxa inerunt non muta. Elboræ falſum nomen excipio. Quod ſi vnquam habuiſſet, nequaquam id tacitum præterijſſet Rodericus Ximenius Toletanus Pontifex, huiuſcemodi rerum non diſsimulanter adfectator & ambitioſus, neque *Aquas* vocatum ſcriberet. At nomē hoc vbinam repererit, tu te ais neſcire. Ego ſcio. Nempe ibidem, vbi Conſules *Tolemonem & Brutum* Toleti conditores, centum & octo annis ante quam C. Cæſar rempublicam inuaſit. Equidem Toletum non paulo antiquius exiſtimabā. Nimirum quia Philippi Macedonum regis, & Annibalis antecedit ſecula. Legeram ſiquidem in quinto quartæ decadis Liuianæ libro, apud *Toletum* cum Vaccæis & Vettonibus ac Celtiberis dimicaſſe M. Fuluium, poſteaque vrbem ipſam tunc quidem paruam, ſed loco munitā, ab eodem M. Fuluio, fuſis Vettonibus qui ſubſidio venerant, expugnatam. De hoc tamen fortaſſe alias. Nunc ad rem.

Quod ais te neque Toletanum, neque Talaurienſem, neque Abulenſem eſſe, ſed ex veteri Caſtella, oriundum, videlicet, vt intelligamus ſimpliciore te ingenio, & moribus eſſe longe candidioribus, (Taleis enim veteres Caſtellanos & fama prædicat, & nos experti non raro ſumus) facetum plane eſt. Sed nihil opus erat. Inter bonos & literatos viros iſtiuſmodi vulgareis adfectus reperiri

æquum

æquum non eſt. Aut certe ſi aliqũatenus inſint, ratione cohibendi ita ſunt, vt veritas omnino præponderet, principemq́; locum ſemper obtineat. Ex eo tamen quod tantopere glorioſius & importunius ſe efferentis vulgatum gẽtis morem à te ſegregas, (à quo ego crimine ſemper nobilitatem exciperé,) videris mihi de induſtria radicem attigiſſe, vnde pullulauit atq; in promiſcuum vulgus inrepſit parentheſis illa, *Talaueriam vocatam olim Elboram*. Quapropter ignoſce veterem noſtratium querimoniam repræſentanti.

Amplum lateque diffuſum veſtræ gentis eſt imperium, vrbesq́; quaqua Hiſpania eſt, celeberrimę ac florentes, paſsimq́ue memoriæ veteris res cognitu digniſsimæ, vt nulli terrarum inuidére iuſte poſſitis. Hoc quamquam ita eſt, veſtrates quidam, neſcio quo liuore, ſeu potius, quo maleuolo genio inſtincti, multum angulum hunc noſtrum, ac *Portugaliolam*, vt contemptim adpellant, nó modo laceſſunt, verum faſtidire etiam ſe oſtendunt, nec perſuaderi queunt, aut ęquo animo patiuntur, quidquam apud nos eſſe vel mirificum, vel excellens. *A Nazaret*, inquiebat ille, *poteſt aliquid boni eſſe?* Veſtri iſti ſimiliter. *A Portugalia poteſt aliquid boni eſſe?* vt tametſi clamemus, *veni & vide*, agamus pauló plus nihilo. Auctorum teſtimonia laudem nobis aliquam tribuentia, aut diſtorte inter-

pretantur, aut malitiose inuertunt. Gestas præclare res aut supprimunt, aut fide referunt nequaquam bona. Sicubi vel inclinatiore fortuna vsi sumus, vel minus honori nostro consuluimus, ibi Thrasymachos ac plane λογοδαιδάλους, post terga relinquant. Longissimum esset, isthæc omnia persequi. Sed vt breuiter, atq; ex multis pauca dicam, heinc Damaso nostro patriam commenti sunt *Madritium*, siue ea *Mantua Carpetanorum* est. Quin & *Viriatum* finxerunt *Zamorensem*.

Bambæ regis humilitatem generis, atque originem, non ob aliud inter fabulas reiecerunt, quam vt Lusitanũ fuisse ne faterentur. Esto sane, infit fabulosi aliquid in illa historia, vt plerunque solet in similibus, atque vt adcidit in *Ciddi* bellatoris strenuissimi historia, quuius fortissime gestis rebus intermixta sunt quędã male sarta deliramẽta. Sed non ideo negandus erat natiuitatis locus, ei quem alicubi natum esse necesse sit, nisi alio probabiliter adsignato. Atqui in tot seculis postea exactis, nec aliam illi patriam, nec natalcis alios comminisci potuerũt, prætérquam equitẽ ignotum nescio quem, ex Gothorum sanguine fuisse. Vetus autem fama abolita nondum est, & in *Igaditanorum* agro prædium & arbor ficus, & fons quadrato constructus lapide, etiam dũ regis *Bambæ* adpellãtur. Quæ possessio eius fuisse perhibetur.

Victo-

Victoriæ de Saracenis ad flumen *Salsum*, quum maxima pars, imo pœne omnis ad Lusitanos pertinuerit, fuso Granatæ rege, captis & interfectis regulis tribus *Allibohacæ* filijs, antequam suas copias Castellæ rex loco promoueret, hoc tamen superficie tenus leuißime attingunt historici vestri.

Quantum attulerit momenti ad Tunetēsem expugnationē Lusitana classis, & princeps Ludouicus, palam fatebatur Carolus Cæsar. Qui eam expeditionem literis & memoriæ mandarunt, dißimulanter ista prætereunt, tanquam nostri vel non interfuerint, vel tantum egerint spectatores. Certe illa classe, illôq; bellico adparatu, ac sub tali principe nostra in Africa prouincia Mauritania Tingitania fines latius promouisset. Saltem *Laracium & Tituanum*, duo improba Maurusiorum piratarum receptacula ablata essent, ac in potestatem redacta.

Audiui aliquando Salmanticæ *Alphonsum Castricum*, monachum, anniuersarijs Diui Antonij Olysiponēsis solemnibus, è suggesto concionantem. Erat autem multitudini gratus, & quem ego post Laodicienlis episcopi tubam illam sonoram mihi imitandū proposueram. Quumque opus esset patriæ meminisse. *Olysiponensis*, inquit *fuit*. Et caput subinde quassans, non sine stomacho,

tandem tandem ait, *noster Antonius Portugalensis exstitit*, quasi portentum aliquod denunciaret.

Areius Lusitanus quadraginta, & eo plus, annos Salmanticæ tum Latinas literas, tum Græcas magna cum laude professus est. De quo illud exstitit Antonij Nebrissensis elogium, in præfatione *Introductionum Græcanicarũ* vt in autographo eius Salmanticẽsis bibliothecæ non semel vidi, & in Cantabrica editione incorrupte adhuc perseuerat, hisce verbis. *Ego verò quum in meis introductionibus multos locos ex Græco inchoatos reliquissem, communicata re prius cum Areio Lusitano, à quo vno, si quid vsquam Græcarum literarũ apud nos est, emanauit, ausus sum facere quod ille harum rerum peritior facere debuisset.* Hoc ad istum modum deprauarunt, *Ego verò quum in meis introductionibus multos locos ex Græco inchoatos reliquissem, communicata re prius cum ijs à quibus siquid vsquã Græcarum literarum apud nos est, emanauit, ausus sum facere, quod alius harum rerum peritior facere debuisset, Areij* expuncto nomine, hominis de Hispania tota quam optime meriti. Nisi si *Antonius* tam leuis fuit, vt eũ consilij sui prioris, & relatæ viro semper amicissimo gratiæ postea pœnituerit. Nec abhorret hoc ab ingenio illius. Ex Vernandi Catholici regis, & Elizabet excelsæ reginæ historia, quam & Latine & Hispanice scripsit, vbi vbi nos tangit,

git, quam effuso mentiendi studio feratur, nemo, non intelliget. Atqui ad id quod efficere cupiebat, non minimum intererat verecundius ac tectiùs reginæ adulari.

Mihi quoque nonnihil adcidit incommodi. Scripseram ad Vasæum Belgam epistolã de *ara* nomine atque origine. Eam ille ostẽdit *D. Didaco à Casis Rubris* (Hic *Didacus à Leiua Couasruuias* est, I.C. egregius, Salmanticæ doctor, scripsit in iure varia, quæ doctis mirè placent ob singulare iudiciũ.) Quali verò? Si genus spectes, nobili? Si literas, iurisconsultissimo; Si famam, scriptis iam noto; Si auctoritatem, paulo post Rodericopolitano Episcopo; & nũc Oxomensi. Visam nó modo laudauit, sed correxit opinionem suam pristinam, ac vulgarem, mihiq; id debere ingenue fassus est. En prodijt tertia eius editio alijs iam verbis, quasi nó ego prior rem eam disquusserim, sed ab illo prius disquussæ adhæserim adstipulator. Tã nihili apud vos sumus. Sed vos, estote beati, estote felices, muneribus à Deo concessis gaudete, latéque dominamini. Sinite nos pauxillo nostro etiam frui. Hispani omnes sumus, magnis inuicem propinquitatibus, adfinitatibusque cognati, ac familiarum mutua vtrimq; permixtione cõsanguinei. Verum de his, nimio plusquam constitueram, sed fere necessario, vt ostenderem ab hoc seminario subcreuis-

se nominis *Talaueriæ in Elborā* inuersionem, non ferentibus istis, trium martyrum nostram vrbem fuisse matrem, nostram gentem altricem.

Cæterum Legionensis Breuiarij lectionem, in qua, non *Elbora* sed *Ebora* legitur, & subiungitur, *Quæ ciuitas est regni Lusitaniæ*, eatenus probas, quatenus facit ad explicandum Martyrum patriam. Improprietatem vero loquutionis non probas, quum non dicamus, inquis, *regnum Lusitaniæ*, sed *prouinciam*, sicut nequè *prouinciam Portugaliæ*, sed *regnum*. Hoc iam extra controuersiam nostram est. Poteramque â respondendo supersedere, nisi & ipsi *Lusitaniæ regnum, & regem Lusitaniæ* similiter diceremus. Improprie dices, quum titulus *regni* Portugaliæ & Algarbiorum sit. Imo tam proprie, quam vos *Hispaniæ regem* vestrum adpellatis, quum titulus sit, *Castellæ, Legionis, Aragoniæ, atq; Nauarræ.* Omitto breuitatis causa cæteros, *Toleti, Murtiæ, Granatæ*, & siqui sunt alij. Omnia ista enim vno *Hispaniæ*, aut *Hispaniarum* nomine continentur. Et nos breuitati studentes, ne *Portugaliæ, Lusitaniæ, & Algarbiorum* dicamus, *Lusitaniæ* tantum dicimus, videlicet à maiori regni ipsius portione. A Durio enim vsque ad Sacrum promontorium Lusitania protenditur. At *Portugalia*, vel vt magis proprie & vetu-

vetuste dicam, *Portugale*, à Durio tantum, vsque ad Minium.

Incunabula nostri regni tibi homini antiquitatis studioso explicabo. Sunt qui *Portugalliam*, quasi *Galliæ portum* confingant. Sed ij incerto errore feruntur, aut in adulationem Gallorum etymon extorquent. Nos vetustum nomen *Portugale*, vel, si blandius loqui placet, *Portugaliam*, præponimus. Oppidum vetustissimum est ad ostium Durij fluminis, *Cale* ab Antonino vocatum. Quod quia situm in monte est, difficilemque habebat vsui hominum seruitutem, loco plano in ripa fluminis cœptum habitari, facto à piscatoribus initio. Creuitque paulatim multitudine habitatorum locus, vocatusque est *Calis portus*, vel vno nomine, *Portucale*, & ex frequentia, in ciuitatis dignitatem deuenit. Quuius Episcopus *Portucalensis* in antiquis Concilijs nominatur. Nota vero est cognatio literarum C. & G. præcipue Hispanis nostris. Ad solam igitur vrbis huius diœcesin, *Portugalis* nomen proprie pertinet. Diffusum inde ad Bracaros Callæciæ partem. Crede hoc saltem vestro Roderico Toletano, in cap. *de morte Ranimiri*. *Interea, inquit, Alcorexi rex Agarenorum, eam partem Gallaciæ, quæ nunc Portugalia dicitur, & vsq; ad Sanctum Iacobū non veritus Apostolum, deuastauit.* Et paulò post, quum agit de morte Almanzoris.

zoris. *Igitur anno terdecimo, Almanzor resumpto exercitu ingressus est per eam partem Gallaciæ, quæ dicitur Portucale.* Et in cap. de monarchia Vernandi regis *Quumq; tranquilla securitate gauderet, congregato exercitu processit, vt Portugaliam & Lusitaniam obcuparet.* Adducerem de hac re inscriptiones plurimas, nisi prolixitatem vererer, & nisi alibi ea de disseruissem. Hoc non omittam. Vbi *Portugalis* nomen cœpit vltra diœcesin suæ vrbis exire, & ad alias proximas extendi ciuitates, Episcopos, qui prius *Portucalenses* dicebantur, vitandæ amphibologiæ causa, vocatos exinde *Portuenses* tantum. En tibi *Portugale* vix quartam regni nostri partem.

Non dicimus, inquis, *Lusitaniæ regnum*, sed *prouinciam.* Et Hispania *prouincia* fuit, & *prouincia*, & tamen belle *regnum* adpellatur. At non totam Lusitaniam rex noster possidet. Nèq; totam Hispaniam vester.

Expostulat hic locus, vt quod de diuisione Lusitaniæ supra sum pollicitus, modo persoluam. In treis conuentus Lusitaniam diuisit Plinius, *Emeritensem*, *Pacensem*, & *Scallabitanum.* Duos nos habemus, & vltra Anam ex Bætica oppida aliquot neque ignobilia. Adhuc expreſsius. *Lusitania*, vna fuit prouincia, tribus distincta conuentibus. Diuisa postea est propter magnitudinem. Et conuentus duo, hoc est, *Pacensis & Scallabitanus*

num, nomen retinuerunt Lusitaniæ. Vnus *Emeritensis*, amisso Lusitaniæ nomine, *Vettonia* nomen, à gēte, sortitus est. Testatur hoc cippus Emeritæ, in domo Petri Mesiæ.

D M
P. AELIO. VITALI
AVG. LIB. TABVL
PROVINC. LVSITANI
AE. ET. VETTONIAE
STEPHANVS. LIB
ET HERES. PATRO
NO. FECIT

Heinc illud sacri Prudentij in Eulalia.

Nunc locus Emerita est tumulo,
Clara colonia Vettonia.

Heinc etiam *Vettones* iam separati à Lusitanis reperiuntur, tametsi & ipsi prius inter *Lusitanos* censerentur. Domi meæ ingentem cippum marmoreũ habeo, quuius meminit Reuerendus Dominus Didacus à Leiua Couasruuias Iurisconsſ. nunc Oxomensis Episcopus, in libris *Variarum Resolutionum*. Is ita habet: Nisi quod literarũ inuicem complicatarum compendij causa connexiones, ob characterum inopiam, exprimere non potuimus.

L. VOCONIO. L. F. Q. VIR.
PAVLLO. AED. Q. II. VIR.
VI. FLAM. ROM. DIVORVM
ET AVGG. PRAEF. COH. I.
LVSIT. ET COH. I. VETTO
NVM. ב. LEG. III. ITAL. OB
CAVSAS VTILITATESQ. PV
BLICAS, APVT. ORDIN. AM
PLISS. FIDELITER ET CON
STANTER DEFENSAS. LE
GATIONE QVA GRATVI
TA ROMAE PRO. R. P. SVA
FVNCT. EST

LIB. IVL. EBORA
PVBLICE IN FORO

Quum itaque duas veteris Lusitaniæ parteis possideamus, vna excepta, quæ ex prius Lusitania facta *Vettonia* est, sine iniuria, qui in duabus his partibus regnat, *Lusitaniæ rex* potest adpellari. Non igitur Legionensis Breuiarij conditores perperam *Lusitaniæ regnum* dixerunt. Neque nos erigimur, aut inuasa Lusitania insurgimus, falsosúe nobis titulos induimus, vt à te ambitus, tametsi ioco, notari debeamus. *Insurgitis*, ais, *cum Lusitania. Sed nos heinc vobis illam cedimus.* Lepide. Sed vtrum nobis ceditis? Terrámne ipsam Lusitaniam, an nudam adpellationem? Si terram dixeris, duas certè eius parteis vos nobis non cessistis, sed eas nostri maiores labore & sanguine infidelibus ademerunt. De tertia quæ apud vos est, quam prouinciam *Vettoniam* dixi, vtinam decederetis. Sed vereor ne non velitis. Si vero adpellationem solam dicas, mirifice liberaleis vos. Est quur gratiam magnam vobis habeamus qui tanta nos nuncupatione donatis. Verum ista omittamus.

Miraris, in calendario Breuiarij Eborensis à me facti, quarta decima Februarij die *Valentinum* presbyterũ & martyrem Barcinonensem reperiri, & ignotum vobis esse ais Valentinũ hunc Barcinonensem. Mihi quoque ignotus æque est. Sed quibusnã tu oculis hoc in meo Breuiario legisti? Hyalinisne, an tuis?

an tuis? Si hyalinis, fefellerunt plane. Si tuis, festinabas. Dictio enim *Barcinonensis*, non additur *Valentino* presbytero & martyri. XVI. Cal. Martij, sed *Eulalia* virgini & martyri, pridie eidus Februarij. Cui Diuę lectiones ideo non adposui, quia quæ de illa circumferuntur, fere ex *Emeritensi Eulalia* sumpta sunt. AEtas annorum tredecim, habitatio in suburbano prædio, presbyteri Donati eruditio, spontaneus adcessus ad forum, libertas in respondendo, & denique Præsidis carnificina, fere sunt eadē, vt hoc forte nonnullis imposuerit, vnam tantum fuisse Eulaliam existimantibus. De Emeritensi, exstant & acta, & sacer ille Prudentius. De altera, viderint ciues Barcinonenses, & solertius inuestigent.

Redeo ad Kalendarium Breuiarij. Contuli data opera, supra centū volumina, heic apud bibliopolam reperta, & totidem fere per sacerdotū manus, mire consentientibus exemplaribus. Fieri tamen potuit, vt atramenti viscositate correpti laxius hærentes typi, euulsi fuerint, & ab ignauis operis loco non suo repositi, in pauca aliquot exemplaria. Credo te nō ignorare typographorum, præsertim indoctorum oscitantiam, cui neque tres Argi sufficiant. Sed arbitror satis me de hoc capite apud te esse purgatum.

De Valæo quod scribis, fateor à me adiutum

um in plerisque vt ęquum fuit, hominē beneuolentem, quem in Gallia Belgica, *Nicolao Clenardo* viro doctissimo, ac pientissimo sacerdoti, in Hispaniam me impulsore venturo, profectionis comitem addiderā, quēque postea quàm Salmantica Clenardū abduxi, etiam in Lusitaniam aduocandum curaueram. Sunt itaq; nō pauca, & ferè quæ ad *antiquitatem* pertinent, vel à me data, vel certè communicata mecum. Reliquorum omnium conlector ipse fuit, & omninò *Chronicorum* suorum auctor. De altero quem promisit Tomo, nihil habeo quod respondeā, nisi apud me non esse. Tantum petierat à me, vt quos nam *Deos* ante Christi susceptā gratiam peculiariter Hispani coluissent, ad scribere ne grauarer, & quædam alia. Quę dum commentarer, ingratus de morte eius nuncius commentationem meam illam hactenus interrupit.

Librum τῶν γενέσεων, aut *prosapiarum*, si mihi permittant Ciceroniani prisco vti vocabulo, nobilium Hispaniæ familiarum, quem *Gaspar Barrerius* in suā *Chorographia* omittit, antiquum esse scito, auctoremq; eius Petrum Comitem Barcellensem, regis nostri Dionysij nothū. Liber est, etsi stylo rudi, vt illud erat seculum, lectione tamen nō indignus. Comptiorem eum facere poterat *Barrerius*, cui nō deest ingenium & ser-

monis vſus, nouũ facere nõ poterit, niſi plagio ſe inuoluat aduerſus auctorem, ſimile ei quod in *Chorographia* pleriſq; locis aduerſus me, commiſit. Vſq; adeò verum eſt, quod ait Martialis.

Qui velit ingenio cedere, rarus erit. Aliquam tamen illi gratiam debeo, quod mea ſic tractauit, vt aperte domini fidẽ implorare videantur. Sed hæc latius in expoſtulatione cum Illo mea. A Barrerio vero neſcio quã circa familiarũ notitiã verſato, quid exſpectare poſsis nõ video, præcipue poſt mutatũ vitę prioris inſtitutũ. Quæ res vt illi benè & feliciter, atq; ad animæ ſalutem vertat, Chriſtum omnipotentẽ quæſo. Tractat idẽ argumentum, ex aulica nobilitate D. *Antonius Limicus*, materiæ ſuſceptæ non paulo adcommodatior. An ſummam impoſuerit manũ, equidem modo non ſcio.

Sancium poſteriorem Luſitaniæ regẽ, qui ob ſocordiam, nõ quidẽ regno priuatus, ſed motus regimine exſtitit, quũ ignominiã nõ ferret. Toletum ad Hiſpanię regẽ cõſanguineum, auxilij petendi gratia ſe cõtuliſſe, vbi aljs atq; alijs cauſificationibus, quum eſſet de ſpe deiectus, mœrore ac tędio vitã finiſſe, ibique ſepultũ, ſcriptores noſtri oẽs cõmemorant. *Flectium* autẽ Conimbricenſis arcis & vrbis præfectũ, quũ nullis conditionibus adduci

duci posset, vt vrbem fratri subcessori traderet, mortuúq; nűciāri nō crederet, postulasse vt, explendæ fidelitatis suę causa, Toletū sciscitatum de morte eius adire permitteretur. Interea, ab vrbis oppugnatione abstinerent milites. Quū placuisset hominis postulatum, permissū adire Toletū. Vbi sepulcro adaperto, Conimbricæ claueis mortuo regi in manu posuisse, taliq; vsū oratione. Quā diu Rex Sanci, viuum te arbitrabar, extrema omnia sum perpessus. Corijs famem, lotio sitim toleraui. Ciuiū animos consilia de deditione agitantiū, ad malorū patiētiam erexi. Quidquid à me homine tibi ligio, atque in verba tua iurato, prę standū erat, prę stiti bona fide. Mortuo, tuæ tibi vrbis claueis trado, sacramento me soluo. Ciuibus decessisse te nunciabo, ne pertinaciter in suā perniciem subcessori resistant. Hæc Toleti facta scribunt historici nostri. Ex vestris quoque, ea tēpora qui attigerunt, idem confirmant Satisque sit, gestorum Alphonsi regis vocati Sapiētis caput septimū indicare. Arbitrabar me quū iuuenis Toletū deueni, in altero cellæ summi templi latere, infra Magni Alphōsi mausolæum, huius nostri vidisse conditorium, statuamque super porrectam, in schemate monachi ex Diui Francisci, in quod propensus fuerat, instituto. Verum corona regia sepulti olim dignitatem attestānte.

Nescio an fefellerint tunc oculi, an *γεροντικῶς* vacillet ipsa memoria, an potius ablatus inde, & alio translatus sit. In tota certe Lusitania nusquam sepulcrum eius exstat, nec vel tenui saltem fama.

De cognomine Legionensis vrbis, quod post Vasæum me interpellas, respondebo adhuc timidiuscule. Nõ enim temere vetustiorum auctorum lectionẽ soleo inuertere, nisi ipsa ratio conuincat loci corruptionem. Ptolemæi codex ita habet. *ἀπ' ἀνατολῶν δὲ τούτων, παράκειται ἡ ἀστυρία, καὶ πόλεις ἐν αὐτῇ. &c. λεγίων. ζ. γερμανική.* Id est, *Legio septima Germanica.* Quam lectionem sequuntur interpretes, & noster Nebrissensis. Multum tamen moueor Antonini auctoritate, vbi scribit iter à Mediolano Vapinquum, trans Alpeis Cottias, atque inde ad Callæciam, *ad Leugas VII. Geminam*, quod legendum me dixi arbitrari, *ad Legionem septimam Geminam*. Necparum incitamenti addit Inscriptio ista inuenta in pago Legionensis agri, quam adcepi lateritiam esse, quasi defuerint ibi lapides. Quuius exemplum neque Vasæus, neque tu modo ad me misisti. Quod maluissẽ, percensendę rei causa, quam adnotationẽ illi modo adiectã. In Claudio, Luperco, atque Victorico, in hanc partem iam ante inclinaueram, sed tamen reuerebar Ptolemæũ. Verũ si inscriptio ista ad Antonini itinerariũ

ad-

adcedat, audebo forsitan manum Ptolemęo admouêre, & illud, λεγίων. ζ. γερμανική, emendare, vt sit. λεγίων ζ. γεμινιανή.

Grati muneris loco mihi fuit commentariolus Translationis nuper factæ *Sancti Eugenij* primi Toletani episcopi, & martyris, si modo *Toletanus Episcopus* ille fuit. Neque dubitationem meam de nihilo prouenisse arbitreris. Vester *Ildephonsus* in *Cathalogo virorum inlustrium*, & maximè eorum qui Toletanæ ecclesiæ præfuerunt, duos tantũ Eugenios recenset, alterũ Helladij discipulum & Iusti consortem, sub Chintilla, Tulgane, & Chindasuintho regibus, alterum, cui se Ildephonsus subcessisse testatur, sub eodé Chindasuintho & Recesuintho, Eugenij prioris subcessorem. Hunc *Iulianus*, qui libello illi additamentum fecit, secundum vocat Eugenium, de Ildephonso ita scribens. *Præsul post secundum Eugenium.* Et de Iuliano altero: *Iulianus*, inquit, *Eugenij secundi discipulus.* Tam Ildephonsus igitur, quam Iulianus, sanctissimum hunc martyrem Eugenium Toletanum episcopum non agnoscunt. Si in tanta nostrarum rerum ignoratione locus coniecturæ sit dandus, prędicasse euangelium Toletanis non abnuerim, credendum enim antiquitati, sed quum non multum fortè promouisset, in Gallias, vnde venerat, videtur verisimile rediisse, parum alioqui offi-

cio episcopi functum, si primis illis initiis bonum prædicationis subcessum solo videndi magistri desiderio reliquit.

Imò si veritas patefacienda est, Quid enim oportet falsis nos titulis gloriari? & *Eugenius* hic qui primus vestræ vrbi Christum adnunciasse perhibetur Dionysij Parisiorũ episcopi ac martyris exstitit discipulus, quũ is Dionysius non Areiopagita ille fuerit, quod nobis persuadere nituntur Galli, sed alter circa annum Seruatoris nostri ducentesimum quinquagesimum tertiũ, Decio & Grato Coss. Romæ ex presbytero cum alijs sex episcopus ordinatus, atque in Gallias ad prædicandum missus, vt auctor est S. Gregorius Turonensis in primo historiarũ suarum libro, Gallus ille quidem, atq; in suam alioqui gentem propensus, reuocãda ad calculum, & ineunda iterum tuæ tibi supputationis ratio illa est, post quadringẽtos quinquaginta supra mille annos, ex quo passus sit, esse translatum. Atque etiam si *Episcopum* fuisse donemus, neq; seuerius disquiramus, an à solo Dionysio ordinari potuerit episcopus, & ab eo in Hispaniam delegari, quod factum in eius legitur historia, expendendum, an in illum conueniat id quod ais, *Toletanæ vrbis, ac totius Carpetaniæ primum fuisse* antistitem *si primum*, non ad tempus, sed ad dignitatis prærogatiuam referas. Quod si ad tem-

tempus referendum dicas, explices, oportet quur tam Ildephonsus, quam Iulianus Toletanæ ecclesię alumni duorũ tantum Eugeniorum meminerint. Propter vetustatemne & exoletam seculorum memoriam? An quia omisso Toleti grege recessit? An magis quia verè Toletanus episcopus non fuerit, licet ibi Christianæ religionis fundamẽta iecisset? Et quidem memoriã vsq; eo obsoleuisse, putandum non est, quum à Decio & Grato Coss. ad Christianorum persecutionem quæ sub Diocletiano facta est, postquam Toletanam cępisse ecclesiam mox aperiam, anni tãtum intercesserint quinquaginta, vno plus minùs, quumque inde ad Constantinum & Iliberitanum concilium, quo tempore Toletanam Ecclesiã episcopũ iam habuisse etiam ostendam, pauci admodum anni præterierint. Non poterat igitur memoria tanti Martyris, si Episcopus fuisset, ex Episcoporum serie interiisse.

Sin quum primum dixisti, pręrogatiuam sedis intellexisse te inquias. hoc quonam pacto possis tueri, non video. Nondum enim illo tempore Toleti erat Ecclesia constituta, quum neque dum, eo veniente Datiano, esset, verum pauci atque latentes susceptã non ita pridem ab Eugenio religionem formidolosè seruarent. Post martyrium vero sanctæ virginis *Leucadiæ*, videlicet à

puellæ fortitudine animosiores factos, Ecclesiam instituere cœpisse, testatur Rases, hisce verbis. *Diocletiani tempore, Christiani qui Toleti in Hispania erant, Ecclesiam construere cœperunt, quæ postmodum regum dicta fuit. Christiani vero Sanctam adpellant Leucadiam.*

Nec puto, non dico iam Toleti, sed etiam in tota Hispania, Episcopum posse iustum, ordinariumúe ostendi, ante Constantini Magni tempora. Si qui autem ad id tempus alicubi fuisse legantur, quum inter paucissimos profiteri religionem persequutorum metu vix audenteis, præter ordinem, prædicationem, & ad martyrium expositam mentem, episcoporum nihil habuerint, talibus quæ prærogatiua conueniat, ipse videris. Imperio itaque Constantini episcoporum dignitas, & sedium emersit prærogatiua. Is enim optatam Christianis pacem reddit, & episcopos archiepiscoposque fieri per Hispanias edixit, & metrotropoleis ordinauit, per iuridicos Hispaniæ conuentus, iuxta *Diui Clementis* præscriptum, *in epistola ad Iacobum fratrem Domini*, quod citatur à Gratiano, 80. distinctione. De qua re ita Rases. *Constantinus diuisit Hispaniam sex episcopis qui religionẽ Christianam populos docerent.*

Primum fecit *Narbonensem episcopum, cui dedit alias ciuitates sex, quib. in animarum cura, iuxta Christianorum fidem, praeesset, videlicet Blitteras siue*

siue Beterrin, Tolosam Magolonam, Nemausum, Agatham, & Carcassonam.

Secundo dedit *etiam bonas ciuitates, Bracaram, Dumiam Portugale, Auriam, Tuden, Lucum, Iriam, Britaniam Ouetum, & Asturiam.*

Tertio, Tarraconem, Barcinonem, Cæsaraugustam, Ilerdam, Ausonam, Dertosam, Oscam, Calagurrin, Oriollam, & quatuor alias, tam barbarè in scriptura deprauatas, vt quænam fuerint, ex barbaro hoc auctore non intelligam, nec animus sit hoc aliunde supplere.

Quarto, Carthaginem, Lorcam, Bastam, Toletum, Albararam, Oxomam, Saguntiam; Valentiam, Valeriam, Castulonem, Mentesam, Oretum, Secobrigam, & quinque alias quorum nomina non intellexi.

Quinto Emeritam Pacem, Olysiponem, Ossonobā, Abtaniam, puto Igaditaniam, Conimbricam, Lamecam, Eboram, & Cauriam. Sexto, Hispalim, Italicam, Cordubam, Xeritium, Sadunum, Neuolam, Malacam, Iliberin, Astygin, & Agabram.

Sub Constantino itaque Toletana ecclesia nō pridem instituta, Episcopum sane habebat, vt patet ex Iliberitano Concilio, in quo septimo loco subscripsit *Melanthius episcopus Toletanus.* Erat tamen sub metropoli *Carthagine noua,* in qua, auctore Plinio, conuentus erat, quæque, vt ait libro etymologiarum decimoquinto Isidorus, à Romanis colonia facta, nomen etiam prouinciæ de-

dit. Nunc autẽ, inquit, à Gothis ſubuerſa, atque in deſolationem redacta eſt. Rodericus Toletanus à Gũderico Vandalorũ in Callęcia, & Sueuorum rege euerſam dirutamque ait, ibiq; antiquitus dignitatem ciuitatis fuiſſe, antequam à Vandalis eſſet euerſa, cõfitetur. Gothorũ tempore, dignitatem ad Toletanam eccleſiam eſſe tranſlatam, & adhuc *Carthaginienſem* dici *prouinciam*. Sit ſane à Vandalis euerſa. verum, etiã Vandali Gothi erant, vt teſtis eſt Procopius. Alioqui ſatis nobis erat Iſidorus, qui à Gothis euerſam dicit. Mallem tamẽ, vt Rodericus explicatius diceret, ecquam ciuitatis dignitatem Toletũ tranſlatam intelligat. Nam ſi epiſcopalem tantum ſedem intellexit, ex Iliberitano cõcilio prius oſtẽdi, iam ante euerſam Carthaginem Toletum epiſcopalem dignitatẽ habuiſſe. Quanto erat ſimplicius, *metropolitanam dignitatem* tranſlatam dicere?

Euerſa ergo Carthagine, quum Gothi Toletum ob loci ſitum, & ſoli cõmoditates comprobaſſent, & vrbem feciſſent *regiam*, eò metropolitano dignitas eſt trãſlata, verũ manente prouinciæ Carthaginiẽſis titulo. Adparet hoc ex primo Toletano Concilio, ab vndeuiginti epiſcopis prouinciarũ Tarraconẽſis, Carthaginienſis, Luſitaniæ, & Bæticæ celebrato, ſub Honorio & Arcadio AVGG. circa tẽpora Anaſtaſij papæ, præſidente

dente *Patrono* Tarraconensi metropolitano, subscribente sexto loco *Asturio Toletano*, quem sanctus Ildephonsus Audétio in Toletana vrbe metropoli prouinciæ Carthaginis subcessisse dicit, & ob inuētos diuina reuelatione in *Complutensi* municipio Christi martyres, redire in sedem suam noluisse, sed in sanctorum ministerio atq; complexu, diē obijsse. Eôque factum, vt Asturius, qui apud Toletum nonus erat sacerdos, apud Cōplutum primus haberetur.

Vides quàm recens erat episcoporum Toletanorum origo, vt Asturius nonus numero perhibeatur? Nec sane plures esset poterāt centum fere annis, ab Ecclesiæ Toletanæ primordijs, hoc est, à fine imperij Diocletiani, vsque ad Arcadium & Honoriū AVGG. & Stiliconem cos. quo tempore fuit Asturius. Vides etiam translatam iam Toletum metropolim, nondum Carpetaniæ, sed Carthaginiensis titulum prætulisse? Processu inde tēporis, inrepsit paulatim Carpetaniæ adpellatio, vt in tertio Toletano concilio, sub Recaredo principe, in quo secūdo loco, hoc est, post Mausonam Emeritensem prouinciæ Lusitaniæ metropolitanum, subscripsit *Euphemius*, in Cristi nomine, ecclesiæ Catholicæ Toletanæ, metropolitanus episcopus, *pro Capitaneæ*, quod emendandū est, *prouincia Carpetaniæ*. In quinto rursus, Eugenius

prior

prior: ſe Toletanæ eccleſiæ epiſcopũ, prou. Carthaginienſis metropolitanum vocat. Et ſic fere in cæteris. Nec aliter Ildephonſus & Iulianus vtuntur, in illo *de viris inluſtribus* libello. Atq; hęc non eò dicta à me ſunt, quo Toletanis de ſua quidquam antiquitate detractum velim, Sed quia inluſtria Diuorum martyria, falſorum admixtione contaminari non probem.

Ex paulo ante dictis intelliges *Ildephonſi de inluſtribus viris* libellum eſſe apud me, cum ſuperioribus eiuſdem argumenti ſcriptoribus. hoc eſt, *Hieronymo, Gennadio, Iſidoro, Braulione*, poſt quos, ſequũtur *Ildephonſus & Iulianus*. Eſt etiam in noſtra Eborenſi Eccleſia liber ipſius *Ildephonſi, de perpetua ſancta Dei matris virginitate*, non parum quidem antiquus, attamen non parum etiam mendosè ſcriptus. Interque nonnullos bibliothecæ meæ vetuſtiores manu deſcriptos, *Concilium* extat *Emeritenſe*, à duodecim prou. Luſitaniæ Epiſcopis celebratum, anno decimo octauo Receſuinthi regis, æra DCCIIII. ſimulque *Homilia beati Leandri epiſcopi Hiſpalenſis*, habita in tertio Toletano concilio, pro conuerſis ab Arriana impietate Gothis. Quuius meminit Rodericus Toletanus in Recaredo.

Iulianum Pomerium iam olim deſidero. Eoque magis quod ſanctus veſter pontifex *Iulianus* Eugenij ſecundi diſcipulus, *Quirici* ſucceſſor,

cessor, multum illi tribuit, in libris quos *de prognosticis futuri seculi* ad Idalium Barcinonẽsem conscripsit. Eos mihi furto à Parisiensi quodã hospite ante annos viginti sublatos, adcepi postmodum typis excusos, non tamen satis mendis quibus pasim scatebant, purgatos. Vidi aliquando in Germania *carminum* eius *libellum*, sed apud hominem qui neque vnius diei vsuram præstare voluerit. *Isidorũ Pacensem* citat alicubi Vasęus in Chronicis. Non dubito in Ecclesiæ vestræ, quæ prima ex Saracenica inluuione & respirauit, & pristinum splẽdorem recepit, instructisima, vt ais, bibliotheca, merces has posse reperiri. Quibus si nos participes, opta vicissim heinc aliquid, quo tibi nos gratificemur.

Concilium Toletanum statim vt prodijt, delatum ad me est. Nostrum *Olysiponense* absoluimus circiter Saturnalia, vel, vt potius Christiane loquar, instante Seruatoris nostri natali die, sex Actionibus distinctum. Creuit in iustum volumen, vt quod *Decreta* contineat supra tercentum. Nondum exijt, turbato apud nos nõnihil Ecclesiastico statu, siue circa iurisdictionẽ, siue nescio quur, & si scio, non tàm longe vterque distamus, quin eorũ quę heic geruntur, ad vos rumor celeriter pertingat.

Delassaui te arbitror, verbosisima epistola,

ſtola, aut ſi mauis, libello. Sed boni conſules prolixitatem hanc, vbi attenderis, ad litterarum tuarum capita vix potuiſſe me pro materiæ dignitate reſpondere, niſi tot verba neceſſario funderem. Benè vale, & huic homini, quem ſpontè ad amicitiam prouocaſti, indies amiciori, mutuam amicitiam ſerua. Eboræ, 4. Nonas Maij, M. D. LXVII.



AMBRO-

AMBROSIVS MORALES CORDVBEN. ANDREAE RESENDIO. S. P. D.



Mo te, Resendi doctiss. amo te, & vnice profecto diligo: vel de tua nobilitate, quã mihi ego in bonis semper suspiciendã & colendã existimaui: vel de tua ista insigni eruditione, & eximia Hispanæ antiquitatis cognitione, qua nostrates omnes præcellere, & longo interuallo videris anteire: vt carminum tuorum iucunditatem, mihi poetices amantissimo dulcissimam, orationum grauitatem eloquentiæ professori cõmendabilem interim taceam. Accedit insignis tuus cãdor, & in iuuandis aliorum studijs benignitas, qua nunquam grauaris libenter alijs impertiri, quicquid ingenio & singulari iudicio fueris assequutus, aut indefessa diligẽtia aliquãdo eruisti. Quis non hoc amare? Quis non plurimi facere debeat? Ego vero & amo & admiror, & bonorum & eruditorum omnium nomine, humanitatis huius tua ergo, ingentes tibi gratias ago. Offensus nimirum & pessima & frequenti multorũ apud nos tenacitate, qui si quid vel exiguum antiquitatis monumentũ adepti sunt, ita occultãt, ita alijs denegãt: vt perire sibi omnem eruditionem putent, si cũ quoquam id communicauerint. His de causis cum te iam

pridem

pridem amem, & iuuari abs te magnopere studia mea posse intelligam, scribere ad te cōstitui: vt tu me vicißim pro ingenua tua humanitate ames, mihi rescribas, & me opem tuam enixe poscentem libenter adiutes. Scripsi enim Hispaniæ totius historiam ad Roderici Regis tempora, quinque Floriani libros septem aliis continuato opere prosequutus. Non quod mihi eius hominis scripta perplacerent, vel quod tibi displiceant: sed quod iustis de caußis mihi fuit, inidē vbi ille desijt incipiendum. Vrbium origines, situs, nomina, & quæcunque ad illarum antiquitatem pertinebant, historiæ non admiscui: sed peculiari cōmentario seorsum adnexui: quia liberiora spatia ad hunc cursum plenius conficiendum mihi patere cuperem. Atque vtinam vtrunque id opus coram tecum relegere, & te admonente, atque adeò edocente corrigere mihi licuisset: tunc demum mihimet ipse in meo opere satisfacerē, & doctis omnibus satisfacturū sperarem. Nihil, ita me Deus bene amet, quantū ad studia spectat, libentius vnquam in vita fecissem, quàm vt hoc iter caperē: vt tecum aliquandiu versarer, multo abs te doctior recederem, opusque nostrum tali iudice castigatum innocens iam & planè absolutum reducerem. Sed quoniam tum ingrauescentis ætatis senium, tum etiam peculiaris valetudinis imbecillitas hoc ipsum vetat optare: quod vnum datur, tuaque benignitas tribuit sperare, te de multis per literas percontabor. Vides enim, mi homo, quantis & quam multis in rebus, suppetias mihi poßis adferre. Ego vero hic iā matur e, opem tuam, quo magno ope-

re indigeo, implorare, & de multis interrogare te incipiam.

1. *Qualiter putes intelligenda postrema illa verba, quæ in pontis Alcantaræ delubro post epigrãma legũtur.* C. IVLIVS. LACER: &c. *Nã mihi nisi reconditum aliquid subsit, difficilia videntur intellectu. Quæ ego in historia dixi, cum his litteris accipies.*

2. *Quæ apud authores leguntur de oppidorum nominibus, quæ in eodem ponte recensentur, mihi sunt percognita: neque tamen inde satis possum quippiam certi & perspicui afferre. Tu qui vicinior has regiones incolis, non dubito quin aliqua planiora & indubitata magis peruestigaueris. Ea mecum obsecro cõmunicato.*

3. *Ecquid habes, quo rationem reddere possis, & assumpti & continuati in regibus Gothorum prænominis Flauij. Ego enim in hac parte nihil habui quod dicerem, præter vnam coniecturam æmulationis imperatorum. Nam cum ab Constantino, & retro etiam, imperatores omnes Flauij prænomen continuarent: Gothi toties imperat. victores, æmulatione succensi, id ipsum etiam prænominis sibi videntur desumpsisse.*

4. *Ecquid insigne & memorandũ legeris alterutrũ Reccaredum regem in vestra vrbe Eborensi fecisse? Nam si quid eiuscemodi protuleris: omnem ego iam tuam illam cum Quebedio de Elboræ nomine cõcertationem diremero. Interim scias proximo Augusto Quebedium Toleti obijsse, opusq; suum* de sanctis Hispaniæ, *vix dum inchoatum reliquisse.*

5. *De Acosta Rege siquid certum alicubi reperisti, id magno opere cupio intelligere. Quidam enim vti scis, regnasse negant, quidam affirmant. Nummi, qui tanquam regis huius sint, ostentantur, ego adduci non possum, vt credam eius esse regis.*

6. *Si quos habes Gothorum Regum nūmos non graueris obsecro descriptos ad me transmittere.*

7. *Scire cupio concilium illud Emeritense, quo mense, quo die, quibus cum episcopis sit celebratum: Tum præterea siquid insigne in eo sit decretum.*

Onero te multis quæstionibus? Tuæ isti singulari eruditioni succenseto, quæ sola hæc nosse, & potest docuisse: tuæ humanitati irascere, quæ aditum ad percunctādū patefacit. Tu vero vicißim à me, siquid habeo quo tibi gratificari poßim, requirito. Pauperis est numerare pecus: *sed tamē quid à me poßis optare, significabo. Nummos antiquos cum oppidorum Hispanorum nominibus priscis plus quadraginta diuersos congregaui. In his sunt. Sagūtos, Castulo, Valētia, Graccurris, Obulco, Sacili, Vlia, Carmo, Ebora Claritas Iulia, Corduba Colonia Patritia, Ercauica, Cascantum, Hispalis, & quædam alia.*

Gothorum regum nummi hi sunt apud me.

Diui Ermenegildi aureus, quo tempore cum patre bellum gerebat percussus. Bone Deus, quem thesaurum nomino.

Fratris eius Reccaredi aurei quatuor, argēteus vnus, diuersi omnes.

Liuuæ huius filij aureus.

Suintilani aureus.

Rec-

Reccesuinti aureus.
Eruigij aureus.
Vuitterici aureus.
Vuambæ argenteus.
Vuittizæ & Egicæ aureus.

Inscriptionum antiquarum ex multis Hispaniæ regionibus magnam copiam comparaui. Ex vetustissimo Ouetensis Ecclesiæ codice Sancti Desiderij martyris vitam transcripsi, ab Rege Sisebuto conscriptã. Multa alia inde habui. Eiusdem Regis epistolas aliquot, & eorundem temporum alia nonnulla. Chindasuindi Regis priuilegium, quo patrimoniũ monasterij ab Sancto Fructuoso in Bergido ad Complutũ cam erecti adauget. Post Regem Pelagium antiquissimorum regũ nostrorum priuilegia quamplurima, leges item antiquas (fueros *nostri vocant) quarundam ciuitatum nostratium vndecunque corrasi. Sed hæc nihil ad te. Aliorum omnium, quæ te oblectare, aut quaqua ratione tua interesse poterunt, quiduis optato, quiduis petito, descriptum quamprimum remittam. Doctor Ioannes de Sancto Clemente Badaiocensis ecclesiæ canonicus Theologus, qui has ad te mittet, tuas ad me transferendas tuto recipiet. Eum ego hominem multis de causis, tum amo mirifice, tum etiam plurimi facio. Neque ideo solum quia mecum sit aliqua propinquitate coniunctus: neque quia pene à paruulo eduxerim in litteris, amauerim pro meo, & in eo me oblectem, sed quod in eo ingenium, virtus, doctrina, magna omnia, ita decertent, vt non cuiuis facile sit, quid præcellat iudicare.*

Ego semper vitæ innocentiam & sanctitatem præfero. Per eundē cum his litteris librum nostrum de sanctis Iusto & Pastore accipies: quem eo consilio misi vt si quid in eo sit, quod te legisse iuuet, ea te pia & erudita voluptate minime fraudarem. Potui fortasse errare, quia tēplum illud horū martyrū cum inscriptione, ad Salaciæ esse scripsi. Nā. F. Alfonsus Chaconus Dominicanus, qui abs te mutuatam eā inscriptionem ad me misit, perperam titulum addiderat, vt ego quo in loco reperiretur, planè non possem intelligere. Interim scire peruelim, probes ne nostrā in peruestigādis vrbiū antiquitatibus rationem, cuius exēplum in Complutensibus antiquitatibus cernere poteris. Ibi tu mihi nominari non potuisti. Vbicunque interuenis, hominis & tibi amicissimi, & eruditionis tuæ non vulgaris æstimatoris officium non requires. Tu vale, meq; ama, & amanter rescribe. Compluti. XXX. Ianuarij. M.D.LXX.

Vincentium tuum fac ad me mittas, quem ego cum legere magno opere iam diu cupierim, numquam datum est inuenire. Iterum Vale.

L. AN-

L. ANDREÆ RESENDII, LVSITANI, AD EPISTOLAM. D. AMBROSII MORALIS VIRI DOCTISSIMI, *inclytæ academiæ Complutensis Rhetoris, ac Regij historiographi Responsio.*

D. AMBROSIO MORALI, VIRO ERVDITISSIMO. L. ANDREAS RESENDIVS. S.



D eidus ferè Martias, Ioannes à Sancto Clemente necessarius tuus, libellum & litteras à te amantissimas, vna cum suis, etiam amantissimis, ad me misit. Quid ego vtriq; vestrum aliud respondeā, quam meæ me felicitati, ob taleis viros amicitiam meam spontè ambienteis gratulari, nihil equidem intellego. Certè amanteis, quantum intendi amor poterit, redamabo, daboque operam, ne quod priores diligere cœpistis, in eo errasse videamini. Tibi verò cui has peculiariter modo scribo, immortaleis ago gratias, de tua ista humanissima comitate, comi, vt comior esse non queat, humanitate. Nec vtique ob id, quod mirifi-

cis me laudibus euehis, an obruis? Neque enim tam elato sum ingenio, vt quæ scribis mihi quasi meo iure adrogem, sed quod tua isthæc laudatio quum ab incredibili animi candore proficiscatur, non potest iucunda mihi non esse. Pudefacit igitur multum me, multum tamen delectat. Lætus sum, laudari me abs te pater, laudato viro*, inquit apud Næuium Hector, & vsurpat, Catoni respondens, noster Cicero. Sed de his dicam modicè Vereor enim ne mutuum reddere conatum esse me quispiam suspicetur. Quod tamen potius deinceps spondeo, atque in me recipio. Nunc ad epistolæ tuæ præcipua capita. Est sane quod ais, mea satis procliuis in communicandis quæ vel ingenio, vel sedulo nauata opera, depreendi, inuenique facilitas. Quæ mihi nonnunquam obest, insidiantibus meo labori plagiarijs quibusdam, qualis fuit in plerisque amicus olim meus Barrerius, qui locos supra viginti candide impertitos, suæ immiscuit Chorographiæ, non habita commonstratori gratia. Quorum tamen non paucos ea dexteritate tractauit, vt mihi illud Martialis in eum iure liceat detorquêre.

Quem recitas, meus est ô Fidentine libellus,
Sed male quum recitas, incipit esse tuus.

Ingenue magis Vasæus, tametsi neq; sem-

per,

per, neque alicubi, maxime expoſcente loco, non diſsimulanter. Ei certe quæ de Romanis tribubus, ſiue legendis libris, ſiue inſcriptionum veterum monumentis, compereram, additis auctorum priſcorum teſtimonijs, commũnicaui. Compleueramque vnius & quadraginta numerum, hoc eſt, ſupra triginta quinque confeſſas atque receptas, ſex alias. Non enim plureis eatenus diſerte inueneram, præter treis, litteris quamque tribus. CAM. CLV. HOR. ſæpe in marmoribus adnotatas, quarum integra nomina neq; apud idoneum ſcriptorem aliquem legeram, neque ſine veterũ teſtimonio, ſola trium literarum coniectura, Camillam, Cluentiam, Horatiamúe, pronunciare ipſe audebam. Nam C L V. pro CRV. hoc eſt, Cluſtuminam pro Cruſtumina dici, nondum ſatis eram, neq; adhuc ſum perſuaſus, quum ciuitas vnde nomen habet, Cruſtumium vocetur, non Cluſtumium. Mihi autem non contigit marmor videre, vbi C L V S, vel C L V S T, ſcriptum eſſet. Hærebam igitur in ſcriptura, C L V. eſſétne interpretandum Cluſtumina, vt bene docti quidam exiſtimant, an Cluentia, quæ extra numerum, ſicut C A M. & H O R. tribus eſſet. Omneíſque has apud me in ſchedijs conlectas, neque dum ſtylo ordinatas eo conſilio reprimebã,

vtēſi lectione aſsidua certius tandem aliquid eſſem adſequutus ea in re ſtudioſis antiquitatis mea diligentia non deeſſet. Ecce autem in libris variarum reſolutionum Reuerendi. D. à Foſsis Rubris, Redericopolitani Pontificis, prodijt de Romanis tribubus opuſculum, in quo inter multa alia, quæ vir ille eruditiſsimus & ex veteribus, & ex neotericis congeſsit, quæ ego pecuculiariter lucubraueram, vna reperi, à Vaſæo, ſicut poſtea reſciui, prodita, tantum cippi. L.Voconij, L.F. Q V I R. Paulli, qui domi meæ eſt, facta obiter mentione, videlicet vt indicio eſſet, illuc ſcrinia mea, non meo conſenſu, perueniſſe. Quod ægre minime equidem tuliſſem, imò vltro egiſſem gratias, ſi treis illas, quas pro ignotis adhuc habeo, etiam expediuiſſet. De quibus neque verbum vllum fecit, neque exceſsit triginta quinque numerum, neque rem omnino ad amuſsim dolauit. Vicit ea in re, & nos, & illum, & cæteros qui noſtra ætate id attentarunt, Onuphrius Panuinius, quanquam neque in illo exactius aliquid non deſideres. Sed ad rem. Vaſæo homini quoad vixit beneuolenti, leuem hanc pleni officij prætermiſsionem, libenter condonamus. De fraude, cum Barrerio, neque ſane iracunde, expoſtulauimus. Neque propter illum ſimileisq́;, reſtrictiori animo
in

in aliorum iuuãdis ſtudijs, ſi forte potero, equidem ſum factus. Minus autẽ poſſe, vehemẽter doleo. Nõ enim pudet inſcitiam meã fateri. Nam à perueſtigandis eruendisq́; antiquitatibus, ad quam rem videbar ab natura propenſus, maiora me ſtudia, & neceſſariæ quædam compedes retraxerunt, atque ſemotum à doctorum hominum quotidiano congreſſu, quo & erudiebar, & delectabar, ad rudem cõpulêre inuitũ, & in hoc patriæ angulo, quaſi in ingloria ſenectute delitеſcentem, retinuerunt. Sed qualis iſta quũque eruditio noſtra eſt, ad quam velut ad grauioris itineris diuerticulum, nonnunquam animi cauſa deflectimus, nõ enim noſtri nos omnino pœnitet, certe doctis ac tui ſimilibus, ſemper erit obnoxia. Quare omiſsis ambagibus, quod in epiſtola tua petis, vt te viciſsim amem, etiam ſi non petiſſes, ipſe vltro prouocatus, eram facturus. Atque vt initio teſtatus ſum, maximo te opere profecto amo. Vt verò de ſtudijs tuis loquar, probo conſilium tuum, quod vrbium origines & vetuſta nomina hiſtoriæ rerum geſtarum non admiſcuiſti. Impediſſet enim hoc ipſum hiſtoriæ quaſi corpus, & narrationis curſum remoraretur, ac perplexiorem reddidiſſet. Separato verò commentario, antiquitatis ſtudioſis eò melius, quo liberius ſatiſſiet. Sed per tuam

te fidem oro atq; obtestor, vt in reddendis originibus, si nódum opus emisisti, religiosiorem te præstes, quàm fuit in comminiscendis Florianus, multæ alioqui lectionis homo.

Quæris à me quonam modo intelligenda putem postrema verba inscriptionis eius fani, quod ad pontem est Ascantarę. C. IVLIVS LACER, &cæt. nec integram eorum verborum lineam misisti, quod equidem maluissem; quum verbum quod statim sequitur, semiabrasum sit tribus tantum, vt adparet, litteris insculptũ. D : : ƆS. Ego ante multos iam annos, quum scalas loco adhibuissem, horam integram, eoúe plus, etiam pluente cœlo, legendæ inscriptioni impendi, præcipuè propter octauum carmen, quod falsissimè translatum, nullo penitus sensu, circumferebatur, etiamque dum circumfertur. Quod ex ductuum abrasarum literarum vestigijs, me puto ad germanum verumque sensum restituisse, comprobantibus multis, quibus id postea communicaui. Sed hæsi, hæreoque adhuc in tribus illis litteris, D : : ɔS. non hæsurus si duæ tantum essent. D. S. Quæstio vero tua non est nisi in verbis quæ sequuntur, F. ET DEDICAVIT. AMICO CVRIO LACONE IGAEDITANO. Et sciscitaris an probem lectionem tuam & exposi-

positionem, quam extra epistolam in commentariolo Hispanice confecto misisti, *fecit, & dedicauit, amico curione Lacone Igaditano,* ad hunc sensum, *fecit, & dedicauit,* dedicationis munus obeunte *amico Lacone, curione,* id est, sacerdote *Igaditano*. Verbum autem Cvrio, concisione dictum existimas, pro Cvrione. id est sacerdote. Ita, vt *curio Igaditanus*, hoc est, Sacerdos Igæditanus, Laceri amicus, delubrum dedicauerit, quum nefas, vt ais, esset, sine sacerdote hoc fieri. Et *curionem* pro sacerdote, apud bonos auctores reperiri, verbo, non re, confirmas Dicam libere, bona tua venia. Mihi argutius, quam verius, esse hoc videtur. Primò, quia tametsi donarem *curionem* pro sacerdote reperiri, vim facis latinitatis contextui, *Amico curione Lacone Igaditano*, pro eo quod esse debuisset, iuxta tuam sententiam, AMICO LACONE CVRIONE IGAEDITANO. Imò neque sic, ostendebat *curionem*, hoc est, sacerdotem *Igaditanum* dedicationem peregisse, & templum solennibus verbis fuisse effatum. Si enim hoc esset, ita significari debuisset, effante, vel dedicante, vel præeunte, *amico Lacone, curione Igaditano,* non autem distortissime, *amico curione, Lacone Igaditano*. Deinde, vt velis corrigere, quod dixisti, *curione municipij Igaditani*, & dicas, *amico curione,* idest sacer-

cerdote, *Lacone Igæditano*, vt curio non intelligatur sacerdos eius municipij fuisse, sed id municipium patria fuisse Laconis, restat tūc inquirendum, apud quem veterem auctorem legeris, id quod fidenter adseris, *curionē* pro sacerdote, aut potiùs flamine, in prouinciis, & extra vrbem Romam. Romam enim à principio Romulus in treis diuisit tribus, & tribum quamque in decem curias. Tribuum trium præfectos, tribunos adpellauit, Curiarum triginta præfectos, vocauit curiones. Et qui curionum omnium princeps esset, is curio maximus est nuncupatus. Curiones autem hi, suæ quisque curiæ curam habebant, & in calanda, hoc est, vocanda ad curiam Calabram, vel alio, concione, & in sacris faciendis, & in procurandis curialium commodis. A cura enim nomen erant sortiti. Vnde illud Plautinum est.

Nam noster nostræ qui est magister curiæ.
Diuidere argenti dixit nummos in viros.

Fuisseque id sacerdotium Romæ honestū, vel ex vno Liuio potest liquêre. At extra Romam, vbi nullæ curiæ fuêre, quonam modo essent curiones? Inquies fortasse, ab illa Romana consuetudine, etiam alibi Curiones pro sacerdotibus vsurpare. Hoc ostendendum à te est. Ego sacerdotes, flamines, ac flaminicas passim inuenio, curiones eo quo tu vis modo, nusquam. Quod si ego

in

in ſtudiis non ſatis profeci, abs te peto, vt quod rectiùs ipſe noſti, amice impertias. Ad hæc, CVRIO, pro CVRIONE, extrema, breuitatis cauſa, mutilata ſyllaba, nõ magis admitto, quã admitterem. Sermo in ſexto caſu, pro Sermone, faciliùs admiſſurus, ſi tantum CVR. ſcriptum eſſet. Inſuper, LACON, ſine dubio cognomen eſt, non nomen. Sacerdotem autem per cognomen tantum, atque id obſcurum, prætermiſſo priori nomine, contra Romanorum conſuetudinẽ notari ac deſcribi: in tẽplo quod ipſemet dedicaſſet, minus certè conuenit. Quare duabus illis dictionibus CVRIO LACONE, nomen & cognomen Igæditani illius ſignificari nõ dubito. Quomodo igitur interpretamur, F. ET. DEDICAVIT, AMICO CVRIO LACONE, IGAEDITANO? Nempè ſic. Si minus placet ſubaudiri præpoſitionem CVM, *vt ſimul cum amico Curio Lacone Igæditano feciſſe, & dedicaſſe* intellegatur, certe AMICO, adiectiuum nomen erit, non ſubſtantiuum. AMICO, ideſt, fauente, iuuante, operamve dante, Curio Lacone Igæditano. Quemadmodum apud Horatium, *Diues amico Hercule*, Siue CVRIVS LACON flamẽ fuerit, quod non multum curo, ſiue faciendo pontis operi, atque erogandæ in operarios ſtipi præfectus, præcipuè quũ Igæditanus eſſet, quui' municipes in pontis effectione primi recenſen-

ſentur, ſiue carminum illorum auctor. Quod pronunciare non poſſum. Atqui, ſi *Curius Lacon* præfectus operi faciundo fuit, fauore ſane illius indigebat architectus, vt permitteretur iuxta publicum opus fanum exſtruere, quod quidem non tam religione ductus, quam cupiditate ſui nominis poſteris commendandi faciebat. Et quoniam ea in re faciſem habuerat forte *Curium Laconem Igæditanum*, id teſtificari voluit, ac quaſi gratiam reddere, facta nominis eius & patriæ mentione. Fuiſſe quoque *Igæditano* illi prænomen *Curius*, verum videtur, ex multis marmoribus in ipſis Igæditani municipij ruinis, vbi Curiorum familia frequens fuiſſe inuenitur, vt oſtendemus, Deo bene iuuante, in noſtra Luſitania, quæ modo in incude verſatur. De nominibus municipiorum in eodem ponte recenſitis, quæ neoterici tradunt, tibi nequaquam probari, nihil miror. Sunt enim magna ex parte mera ſomnia, & diuinationes, propè dixerim, ebriæ. Sunto exempli cauſa hæc, Coloniam Scallabin, Præſidium Iulium cognominatam, modo eſſe Trogillium, Norbam Cæſaream, Alcantaram, Iuliam Myrtilin, Vacnam. Et ſimilia, quorum commemoratio nō modo faſtidium, ſed indignationem etiam mouet, quando iſtorum næniæ non in Hiſpania noſtra ſopiuntur, ſed peruadunt,

& in

& in Italiam,& in Gallias,& vsq; ad Germanos,atque illic homines sanè doctos, sed nimium credulos, in errores pucrileis inducunt.Ego nō omnia illa,quę in ponte recensentur municipia,percognita habeo. Quæ vero pro compertis possum adserere, propediē vt spero,proditura exspectato. Nam ea epistolaribus cancellis concludi nō possunt.

Exquiris ecquam rationem possim reddere, adsumpti & continuati apud Gothorum reges in Hispania Flauij prænominis. Nullam certam,vt verum fatear. Sed si diuinationi locus esse vllus poterit, ego ita coniecto. Flauium prænomen,quod à Vespasianis incepit, reliqui Cæsares, qui vel sanguinis propinquitate ad illos pertinebant,vel eo se nomine gratiosos fore putabant,sunt prosequuti. Quemadmodum & M. Aurelij Antonini Pij, magna ambitione nomen per multos decucurrit. Quin & Traiani nomen Decius quoque adamauit. En tibi post multos annos. Fl. Valerius Constantius. Fl. Valerius Constantinus. Fl. Valerius Seuerus. Fl. Valerius Crispus. Fl. Valerius Constantinus iunior. Fl. Iulius Constantius. Fl. Iulius Constans. Fl. Nepotianus. Fl. Claudius Iulianus. Fl. Iuuianus. Fl. Valentinianus. Fl. Valens. Fl. Gratianus. Fl. Valentinianus iunior. Fl. Theo-

Fl.Theodosius.Fl. Arcadius.Fl Maximus. Fl.Eugenius.Fl.Honorius. Fl.Theodosius iunior.Fl.Ioannes. Fl.Placidius.Fl. Marcianus.Fl.Auitus. Fl.Leo. Fl.Maiorianus.Fl.Vibius Seuerus. Fl. Anthemius. Fl.Olibrius. Fl.Leo iunior.Fl.Glicerius. Fl.Zeno.Fl.Nepos. Fl.Basiliscus. Fl. Augustulus.Fl.Zeno Isauricus. Fl.Anastasius.Fl. Iustinus.Fl.Iustinianus. Fl.Iustinus iunior. Fl.Mauricius.Fl.Phocas.Fl.Heraclius. Vides ambitiosam Cæsarum, & inter Cæsares tyrannorum aliquot Flauiorum turbam? vt longam imperatorum reliquorum orientalium, seriem, vsq; ad Palęologos, vt Stiliconem, aliosq; militiæ magistros, vt Odoacrum tyrãnum, vt Narsen eunuchum, vt Belisarium, vt consulum centurias, silentio prætercam. Vnde ad Gothos in Hispania regnanteis id prænonem defluxit? Nam eorum maiores Flauij adpellati non sunt. Arbitraris tu, æmulatione imperatorum, quos non rarò vicerant, eos ita voluisse nũcupari. Potest hoc esse. Quamquam ab hac sententia ista potissimum ratione discedo. Nam si æmulatione id fecissent, illi maximè fecissent, qui de Roma vrbe triũpharunt, quasi sic, Romanis insultarent, vt Alaricus, vt Ataulphus, vel etiam Gizericus Vandalorum Rex, qui ex Africa venies Romam est deprædatus. Quibus Flauiũ adie-

ctum

ctum fuisse prænomen, nusquã, quod equidem meminerim, adhuc legi. Quare non pessima coniectura existimarem, potiùs ex adfinitatibus, & iam consanguinitate, vel ex beneuolentia & obseruantia erga Cæsares ipsos, conseruandæque amicitiæ causa, adulatione quadam esse id factum. Nam quum Ataulphus Alarici propinquus Placidiam Theodosij filiam in vrbis direptiõe captam iugali sibi vinculo sociasset, vt tradunt Orosius & Iornandes, atque Alarico mortuo, in Gothorum regnum suffectus esset, paulatim Placidiæ moribus lenitus, ad pacem se, & Romanorum amicitiam conuertit, Honorioque adfini gratificari studebat. Post quem, Regerico, qui subcesserat, suorum fraude interempto, Vallia quuartus ab Alarico sequutus est. Qui non modo pacem cum Honorio confecit, sed sororem illi etiam viduam, honorificè semper habitam, remisit, & bella plurima, etiam contra gentileis suos, pro Romano gessit imperio. Testatur hoc Sidonius Apollinaris, in Anthemij Panægyri.

simul & reminiscitur illud,

Quod Tarthesiacis auus huius Vallia terris
Vandalicas turmas, & iuncti Martis Alanos,
Strauit, & obciduam texêre cadauera Calpen.

Simili modo Theodericus Vesogothorum rex, vt cum Sidonius Apollinaris, & Iornã-

desadpellant, siue Theoderedus, si magis Roderico Toletano adsentiaris, pacem cum Valétiniano, quam prius fregerat, tandē cō-firmauit, & cum Aetio in campis Catalaunicis, pro Romanis, aduersus Attilam potentē Hunnorum regem fortissime pugnans, ob-cubuit. Iam Amalasuintha magni Theoderici Amali filia, per obitum Eutharici mariti Hispaniæ regis vidua relicta, suam viduitatem, & Athalarici filij pueritiam Fl. Iustino imperatori, quasi in tutelam commendauit, eò quod pater Theodericus Athalarici auus è vita migrasset. De qua re latius postea. Athanagildus vero contra Agilam, siue Agilanem, vt Gregorio Turonensi placuit, auxilia ab imp. FL. Iustiniano petijt. Herminigildus insuper, vt ab Ariano patre se defenderet, ad Tiberij imperatoris parteis se transtulit. Quod Gregorius Turonensis libro quinto, sexto, & octauo, memoriæ tradidit. Notum etiam est. Stiliconem Gothum, nempe Vādalum, genere fuisse, vel Orosio attestante, cap. 38. lib. septimi. Is Flauij prænomē tum sibi, tum Eucherio filio indidit, videlicet, vt Cæsaribus per quos ad immodicam illam potētiam erat euectus gratificaretur, ac præcipue maiori Theodosio, qui ei Serenam adoptiuam filiam, ex Honorio fratre natam, in matrimonium dederat. Quam rem, quia ad Hispa-
niam

niam noſtram pertinet, aliquanto perplexam, latius explicemus. Theodoſius Hiſpanus, ex prouincia Bætica, ciuitate Italica, dux egregius Valentiniani comes, qui & in Britannia res magnas geſſerat, & Africam à Firmi tyrannide Romano adſeruerat imperio, vt vigeſimo octauo, & vndetrigeſimo lib. narrat Marcellinus, duos habuit filios, Honorium & Theodoſium. Húc Valens inſanus ac ſuperſtitioſus imperator fecit interfici, vt teſtantur Hieronymus, Oroſius & Iornandes. Cauſa fuit, vel inuidia, quod adſcrit Oroſius, vel quod Valens temeraria curioſitate quum de imperij ſucceſſore magice eſſet ſcrutatus, ſiue ipſe, vt Socrates in hiſtoria Tripertita narrat, ſiue Libanius rhetor & Iamblichus Procli magiſter, vt ſcribit Zonaras, adcepiſſetque ſucceſſurum eum, quuius nomen per quatuor has literas inciperet, Th. e. o. d. interimi fecit multos ex nobilib. Theodoros, Theodotos, & Theodoſios, inter quos etiam Theodoſium hunc virum optime de imperio meritum. Eo interfecto, Theodoſius filius iam tum nominatiſsimus, Nempe qui ſub Valentiniano Valentis fratre dux fuerat Mœſiæ, prima etiam tum lanugine iuuenis, princeps poſtea perſpectiſſimus, vt Ammiani Marcellini in calce lib. vigeſimi noni verbis vtar, periculi euadendi cauſa,

vel vt parium declinaret inuidiam, quod Theodoreto placet, in Hispaniam redijt, vbi & ortus fuerat & nutritus, ac cum fratre Honorio priuatam quietamque vitam ducebat. Honorio tres erant filiæ, Flaccilla, Thermantia, & Serena. Et quidem Flaccillam, quam Theodoretus, & Zonaras Placillam vocant, Theodosius patruus adhuc priuatus, vxorem duxit, ex qua Arcadium genuit atque Honorium, fratris iam mortui nomine illi imposito. Horum adstipulator est in laudibus Serenæ Claudianus.

gestabat Honorius arcto
Te pater amplexu, quoties ad limina princeps
Theudosius, priuatus adhuc, fraterna veniret.
Oscula libabat, teq; in sua tecta ferebat.

Et quum Honorium iuuenem Serenam adloquentem inducit.

ô patrui germen, cui nominis, hæres
Subcessi, sublime decus torrentis Iberi,
Stirpe soror, pietate parens.

Tandem Theodosius Theodosij comitis à Valente interempti filius non Honorij, vt falso existimauit siue Sex. Aurelius Victor, siue qui eum in epitomen redegit. Tandem inquam Theodosius à Gratiano vocatus, & apud Sirmium Pannoniæ ciuitatẽ imperator adpellatus, quum se Bizantium contulisset, fratris Honorij filias Thermantiam & Serenam, vxoris Flaccillæ sorores, adduci

duci fecit, atque adoptauit. Confirmat hoc Claudianus his verbis.

Defuncto genitore tuo, sublimis adoptat,
Te patruus. & statim.
Addidit & proprio germana vocabula nato,
Quáq; datur, fratris speciem sibi reddit adempti.
Denique, quum rerum summas delectus habenas
Susciperet, non ante suis impendit amorem
Pignoribus, quam te pariter, fidamq; sororem,
Litus ad Eoum terris adciret Iberis.

Adductas igitur atque adoptatas patruus Theodosius, principibus viris dedit coniuges. Nam Serena ætate iunior, Stiliconi nupsit, ex qua nati sunt Maria & Eucherius. Maria, Honorio Augusto Flaccillę matertera, & patrui Theodosij filio, in coniugium est tradita. Hoc ita Claudianus.

Adstitit, & blande Mariam Cythereia salutat.
Salue siderea proles augusta Serena.

Ad tantam igitur potentiam Augustorum beneficio, & suis eò tempore meritis, euectus Stilico. Flauij prænomen adsumpsit. Atqui Theodosius comes, à Valente interéptus, & Theodosius eius filius, postea imperator, & Honorius huius frater, cũ filijs Flaccilla, Thermãtia, atq; Serena, vti dixi, Hispani & in Hispania orti educatiq; erãt: vt ostẽdit idẽ Claudianus in laudibus Serenæ, & in panægyri de quarto Honorij consulatũ. Non ergo erit absonum suspicari ex ijs man-

fiſſe gentem in Hiſpania; quuius conubijs permixti Gothi, Flauium prænomen non modo non adſpernarentur, ſed etiam ambirent, præſertim vigente adhuc in imperio Flauiorum, Theodoſij vtriuſque atque Honorij progenie, quorum conſanguinitatem adfinitatemúe Hiſpaniæ reges præ ſe ferrent. Sumo argumentum ex ſubſcriptionibus tertij Toletani concilij, vbi inter proceres qui ex Ariana hæreſi reſipuerant, ita legitur. Flauius, vir inluſtris ſubſcripſi. & ex Theodoſia Seueriani prouinciæ Chartaginienſis ducis filia. Quod nomen non Gothicum eſt, ſed in Romanum vſum ex Græcia tranſlatum, atque adeò Theodoſianam præfert originem. Theodoſia verò hæc Seueriani filia, Leonigildi Regis vxor fuit, & mater Flauij Recaredi. Quin & Seuerianus ipſe Theodoſiæ pater, à Luca Tudenſi, & Roderico Toletano, Magni Theoderici Amali filius fuiſſe adſeritur. Quæ res vt facilius intellegatur, Theoderici ſubceſſus, ex Iornande in Gethicis, ſalutatim ac ſummotenus percurram. *Theodemirus ex Amala ſtirpe Oſtrogothorum, rex, Valemiri & Videmiri frater, quum in Pannonia regnaret, pacis obſidem filium Theodericum adhuc infantulum imperatori Leoni Cōſtantinopolim miſit. Quem imperator nutriri fecit, & pueri elegātia, bonaq; indole delectatus, carū habuit, atq; ad ſuos liberaliter dona-*

donatũ remisit. Vnde adcepto paterno regno, à Zenone est vocatus, & inter aulæ augustæ proceres adscriptus. Deinde ab imp. in filiũ adoptatus, & cõsul ordinarius factus, equestri quoque statua honoratus. Demum Zenonis permissu & voluntate in Italiã venit, vt Romam ipsamq; Italiam à Turcilingorũ Rugorũque tyrannide liberaret, Zenone illi Senatum. P. Q. R. cõmẽdante. Dominus itaq; Italiæ factus, & vestitum, & insignia sumpsit, quasi Romanorum Gothorumq; rex. Missaq; ad Clodouaũ, vel potius Clodouichum, vnde nobis Lodouici prodierũt, Francorum regem legatione, Audefledam illius filiam vxorẽ duxit, ex qua filiam Amalasuinthã suscepit. Genuerat verò Theodericus in Mœsia filias duas, quarum alteram rerum in Italia potitus, antequam ex Andefleda liberos suscepisset, Sigismundo Burgundionum regi, vt præter Iornandem Gregorius Turonensis confirmat, licet Gulielmus Paradinus nõ Sigismũdo, Sed patri eius Gũdebado adserat, *alteram Alarico Vesogothorũ regi in matrimonium dedit. Ex Alarico natus est Amalaricus. Cui parentibus orbato, Theodericus auus Thiodẽ, nostri Theudẽ adpellãt, tutorẽ in Hispania regno adsignauit. Sed sublato in adolescẽtia Amalarico, Thiodes regnũ inuasit.* Hęc ex Iornãde. Addam' ex sancto põtifice Isidoro, Theodericũ hũc in Hispania quoq; regnasse annos 15. Quod ita intellego. Alarici generi comperto obitu, descendisse eum in Hispaniam, vt Amalarico nepoti infantulo regnum stabiliret. Inde

adulto iam puero, sub tutela Thiodis regno tradito, Romam reuersum. Addit Lucas Tudensis, illum in Hispania vxorem adcepisse, ex prima Hispanorum nobilitate, & forte ex Honorij ac Theodosij familia, quorum summa erat nobilitas. Ex qua vxore Seuerianum genuerit, Theodosię patrē, Herminigildi & Recaredi auum. In tāta rerum felicitate Theodericus, semper imperatores per quos creuerat, est veneratus, & summa reuerētia coluit. Quare ipse quoque, vt poteà Fl. Leone nutritus, à Fl. Zenone adoptatus, ordinarius consul, Romanorum denique & Italiæ factus Rex, in imperatorum gratiam, aliorum multorū more, Flauij prænomen non prætermisit. Quod eius nepos Amalaricus, & pronepotes Herminigildus & Recaredus suo sibi iure vindicare potuerunt. Ex hactenus dictis, habeo vnde. Fl. Amalaricus. Fl. Herminigildus, Fl. Recaredus dici potuerint, nimirum ille ab auo, hi à proauo mutuato prænomine, & probabili coniectura, quo ad Herminigildum & Recaredum, per maternam lineam à Theodosijs Honorioue, origine deriuata. Redeo ad Theodericum. *Is quum nosset in Hispaniæ parte regnare Butharicum Viterici filium, Beremundi nepotem, ex nobili Amalorum stirpe descentendē, iuuenem impigrum, ac strenuum, ad se vocato, filiam Amalasuintham in*

matri-

matrimonium conlocauit, & consulari dignitate honestatum, Fl. Eutharicum Amalum nuncupauit. Ex eo coniugo procreati sunt Athalaricus & Mathasuintha. Euthárico defuncto, Theodericus Amalasuintham filiam, Athalaricum nepotem, & neptem Mathasuintham ad se recepit. Et senio confectus, quum non diu se victurum intelligeret, ac prolem masculam non haberet, Gothorum conuocatis primatibus, Athalaricum nepotem, vix decimum ætatis annum tunc agentem, pro se regem constituit, Fl. Athalaricum Amalum adpellatum, mandans, vt Senatum P. Q. R. amaret, & orientalem principem studiose coleret. Quod Athalaricus, & Amalasuintha mater quamdiu fecerunt, per annos octo, & aliquanto plus, quiete regnarunt. Mathasuintham Viiges tyrannide obcupata, vel nolentem, sibi fecit coniugem. Sed à Belisario debellatus, vna cum vxore ad Iustianum perductus est; vbi sine liberis fato concessit. Mathasuintha autem vidua, Fl. Germano patricio, Iustiniani Augusti ex sorore nepoti, imperatoris iussu denupsit, peperitq; filium, Fl. Germanum vocatum. Hæc ex Procopio, qui sub Belisario duce militauit. Et heinc quoque habeo vnde meam alam atque stabiliam opinionem, adfinitatibus & cognatione, Augustorum Gothorumqúe regias sibi inuicem fuisse obnoxias, Gothorumq; in Hispania reges, ad decus & honorem suum pertinere prænomen illud existimasse. Absque hoc, quod ita gratiores se facerent Hispanis gen-

tibus, quæ in Romanos iam pridem mores abierant. Adcipe iam Fl. Recaredi, de ſolo enim eo breuitatis cauſa loquar, cum gente Flauia cognationem. Recaredus Theodoſiæ fuit filius, Seueriani nepos, Fl. Theoderici Amali pronepos. Amalaſuintha. Fl. Theoderici Amali filia Seueriani ſoror, magna Recaredi amita fuit. Fl. Athalaricus & Mathaſuintha. Fl. Theoderici Amali nepotes, Fl. Eutharici Amali & Amalaſuinthæ filij, Theodoſiæ Fl. Recaredi matris fuêre amitini. Fl. Germanus iunior, Fl. Germani & Mathaſuinthæ filius, Fl. Iuſtiniani ex ſorore nepos, & Fl. Recaredus, inuicem ſobrini, vt Amalarici Fl. Theoderici Amali, ex naturali filia, quam Alarico Veſogothorum regi nupſiſſe ſuprà diximus, nepotis conſanguinitatem omittam.

Theoderici concubina in Mœſia.	Theodericus Amalus, & Audefleda vxor.	Theoderici vxor in Hiſpania.

Vxor Sigiſmundi. Burgund. regis.	Vxor Alarici Veſogoth. regis.	Amalaſuintha vxor Eutharici.	Seuerianus.

Amalaricus.	Athalaricus. & Mathaſuintha. vxor Germani. Iuſtiniani nepotis.	Theodoſia vxor Leonigildi.

Germanus Iunior.	Herminigildus & Recaredus.

Verum

Verum hoc quod hactenus disputaui, si parum procedit, age alia via, atque indagine, rem istam peruestigemus. Langobardi Germanica gens, à Narse eunucho, sed duce non instrenuo, propter Augustæ Sophiæ acerbum dictum, animo ex iniuria exasperato, in Italiam sunt sedibus suis euocati. Quã ita obcuparunt, vt suprà CC. annos tenuerint. Horum, post annorum decem sub variis ducibus interregnum, in Italia rex fuit Autharus, siue Autharis, Clephonis filius, vt scribit libro tertio Paulus diaconus. Matthias Palmerius Daphonis, filium dicit. Tanta est in barbaris hisce nominibus varietas apud auctores. Sed ego Paulo ex eadem Langobardorum gente oriundó magis adcedo. Sit igitur interea Autharus siue Autharis quuius velis filius. Hunc, inquit Paulus, etiam ob dignitatem, Flauium adpellauerunt. Quo prænomine omnes qui postea fuere Langobardorum reges feliciter vsi sunt. En tibi & Langobardos Flauij prænominis amatores, sumpto ab Authare principio, per FL. Mauricij imper. tempora, ob dignitatem prænominis ipsius, quo Augusti, Duces, Comites, & consules vtebantur. Quid ni ergo, etiam ob dignitatem, Hispaniæ Recaredus rex, qui tam propinqua sanguinis communione gentem Flauiam contingebat, id prænomen adsumeret,

ret, quod in posteros hæreditario iure trāſmitti poſſet? Sed vereor ne de Flauio prænomine longa commentatione tibi faſtidium attulerim. Quam tamen ideo protraxi diffuſius, quia Rodericus Toletanus pontifex, rei alioqui per ſe non ſatis apertæ, magnas ex negligētia tenebras obduxit. Nunc ad alia.

Poſtulas à me, ecquid inſigne memorandumve legerim, alterutrum Recaredum in noſtra vrbe feciſſe. Nam ſi quid eiuſcemodi protulerim, omnem iam meam cum Kebedio, de Elboræ nomine concertationem diremptūrum te polliceris. De neutro apud nos quidquam adhuc legi. Miraberis forte id. Verum ego nolo, vt concepta maiore quam pro re de nobis opinione decipiaris. Ego vir doctiſſime, perpaucos rerum Hiſpanicarum ſcriptores habeo, perq; parum ijſdem rebus operæ impendi, vitę inſtituto ad alia me ſtudia neceſſario trahente. Quare ſi id quod à me petis, tu potius mihi potes ſuppeditare, per amicitiam te quæſo, vt eius rei participem me faciās. nō quidem dirimendæ controuerſiæ gratia, quam pro ſatis dirempta ego habeo, ſed vt eorum quæ ad meæ vrbis hiſtoriam pertinent neſcius ne ſim. Siſebuti regis tempore argentariam officinā cudendæ monetæ in hac vrbe fuiſſe adparet. Quod colligo ex aliquot argen-

teis

teis nummis, apud nos ab heinc annos decem repertis. In iis, altera ex parte ipsius regis effigies est, cum hac inscriptione. D. N. SISEBVTVS REX. ex altera vero, signum crucis ab extremo in extremum decussatim pertingentis. atque hæ in medio literæ. CIVITAS EBORA., per circumitum vero, hæ. DEVS ADIVTOR MEVS. Turres quoque vastissimę duę Sisebuto adscribũtur; à Recaredis gestum apud nos nihil scimus.

Nec felicior ad respondendum sum de Acosta siue rege siue tyranno, percontanti. Quem an in mundo natus sit, haud quaquàm adhuc scio. De Emeritensi concilio respondebo expeditius. Titulus hic est, totidem iisdemque verbis. In nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Synodum quod gestum est in prouincia Lusitaniæ, apud vrbẽ Emeritensem, quæ caput eius dignoscitur esse, duodecim episcopis in vnum conlectis, die octauo eiduum Nouembrium, anno 18. Serenissimi & piissimi Reccesuinthi regis, Era. DCCIIII. Sunt vero concilij capita viginti tria. Quæ quia diffusiora sunt, quam vt inseri heic possint, prætermitto, integrum concilium cum mea Lusitania, fauente numine, publicaturus.

Legi cum voluptate prisca oppidorũ nomina, in antiquis nummis, vt adseris, inscripta,

pta, vellemque distinctius ista intelligere. præcipuè quid sibi velit, Ebora, Claritas Iulia. Nam si ad nostram vrbem referri id autumes, ea non Claritas Iulia, sed Liberalitas Iulia cognóminatur, Plinio referente, & vetustis marmoribus palàm attestantibus. Attubi, Astigitani conuentus oppidum, Claritatis Iuliç cognomen habuisse, ex Plinio didici. Nec aliud eodem cognomine vsquam in Hispania legi. Oro ergo te, vt denuo ipsum nummum, vel mea causa, inspicias, & exacta diligentia inscriptionem recognoscas. Aduerte fatui palati mei fastidium. Gothorum regũ numismata, non raro apud nos in veterib. ruinis reperiuntur. Quæ aliquando ad me adlata, propter barbaram litterarum distortionem, non magni hactenus pendebam, quũ tamen ab Romanis illis seculis, nummationẽ non mediocrem sedulo compararim. Eius me modo stultitiæ serò pœnitet.

Tuam in congregandis antiquis inscriptionibus diligentiam, merito laudo. Nec opus esse arbitror, admonêre te virum talẽ, vt non facilè alienæ fidei credas, nisi tu te lapidem inspexeris. Multa enim adferri solent commentitia. Multa quoq; parum fideliter exscripta. Quod finxit, quisquis fuit, Cyriacus Anconitanus, dum antiquarij famam, etiam ab ementitis, àucupaktur?

Quam

Quam perperam pleraque, vt omittam ficta,non solũ Petrus Apianus,&amicus meus Amantius,in libro cui,Inscriptiones sacrosanctæ vetustatis,nomen fecerunt, & ij qui Germanicas & Austriacas ediderunt antiquitates,sed qui Romanas etiam atque Italicas? Eruditum non vulgariter, & prope ad superstitionem vsque religiosum oportet esse,eum qui vetusta monumenta describit. Adfecit me stupore Complutensium, pro receptis postliminio sanctorum martyrum Iusti & Pastoris reliquijs, simul publica hilaritas, simul profusa magnificentia. Ego nondum annos decem & treis excesseram, quum istheic, curante matre, nam patre orbatus pridem eram, Antonio Nebrissensi præceptori operam dedi. Sed coorto inter funebria iusta,quæ Cardinali academiæ patrono,per eos dies mortalitatem exuto,soluebãtur, nescio quo inter municipes & scholasticos tumultu, abductus inde sum. Ea tempestate, neque tam validum, neque tanta opulentia oppidum esse videbatur. Verũ creuit academia, magistris semper eruditissimis florens, eoque confluxere lectissimi adolescentes,summorum hominum liberi. Quo effectum est, vt nulli vrbium Complutum iam cedat. Sed ego videor tam magnifici adparatus quasi choragum,& instinctorem internoscere. Quæ de inscriptione

tem-

templi eorum martyrum ab Alphōſo Chiaconio ex me mutuata dicis, nihil miri eſt parū tę explicate adcepiſſe. Nam ille, vt eſt earum rerū auidus, biduo quod apud me fuit, dū ſchediázein feſtinat, me neq; vrgente, neque ad ſumendum quę vellet horas præſcribente, multa arbitrio ſuo conferſit, congeſſitque potiùs, quā digeſſit. Rem ſi explanatius ſcire deſideras, ſic adcipe.

Exarrama fluuius à noſtræ vrbis ſuburbanis, ac pœne ex pomerio primo tenuiter ortus, deinde emendicatis fluentis auctus, & mixtus Calipodi validiori flumini, in ſinū Salacienſem iam nauigiorum capax ingreditur. Iuxta fluminis huius ripam, antequā Calipodi miſceatur, paulò infrà Terranum oppidum, fanum olim fuit, Ioui ſacrum. vbi cippi aliquot ſcripti etiam dum perdurant. Id fanum inualeſcente Chriſtiana pietate dirutum, & poſtea refectum, in ſanctorum martyrum templum eſt commutatum. Nec veteres cippos pij homines aboleuerunt, ſed addiderunt titulum huiuſcemodi, quem cū ſuis ſolœciſmis adponam. Petoque abs te, vt litteris ſuprà titulum mutuo inter ſe complicatis, pauxillum operæ impendas. Ego enim extricare atque enodare minimè potui.

✠ HVNC DENIQVE EDIFICIVM SANCTORVM NOMINE CEPTVM, IVSTI ET PASTORIS MARTIRVM QVORVM CONSTAT ESSE SACRATVM CONSVMMATVM EST OC OPVS. ERA. DCCXX.

Postremò ſcire expetis probemne tuam in perueſtigandis vrbium antiquitatibus rationem, capta ab ijs quæ de Compluto feciſti coniectura. Si ad hoc exemplum vrbeis cæteras proſequare, probo & quidem valde. Hoc enim eſt antiquitatem ab interitu vindicare, atque efficere, denuo vt iuueneſcat. Non autem frigidiſſimis etymologiis, & malè ſartis fabulis ariolari. Tu meam ſimiliter rationem ex ijs quæ pro Pacenſi colonia diſputaui, potes animaduertere. Sermocinandi tecum deſiderio, in loquacitatis vitium credo vix ſentiens incurri. Sed ita res tulit, vt alias in ſcribẽdo breuitatis amator, euitare nequiuerim prolixitatem. Vincentium meum, quem deſiderare te ais, mitto, & epiſtolam quam Philippo clariſſimo regi, per hos dies, à ſacris Ceneralibus, ſcripſi: Carmen quo regi noſtro ætate quidem tũc puero, verũ indole excellẽti nõ puero, permiſſam regni gubernationẽ ſum gratulatus, vnà mitto, Quod ſuppreſſi hactens, contentus

tus ſoli regi animum meum ſignificaſſe. Núc partim importunis amicorum poſtulationibus, partim quia tibi, quantum ex te intellego, poetices amatori, gratum fore exeſtimo, edendum curaui.

A Kebedio, quem è vita deceſſiſſe ægerrime tuli, poſtularam Iuliani Pomerij, & Iſidori Pacenſis ſcripta, ſi in Toletanæ eccleſię bibliotheca fortè reperirentur. Hęc eadem, quæ apud te maiori eruditione hominem, diligentem hiſtoriarum ſcriptorem, veterumque librorum ſuppellectile inſtructioré, reperiri nó ambigo, forſitan inuerecunde, ſed tamé enixiſſime peto. Vale, & quem ingenij tui bonitate amare cępiſti, eadem viciſſitudine iam addictum, amare perge. Eboræ, 14. Kalend. April. M. D. LXX.

(*,*)

L. ANDREAE RESENDII ORATIO HABITA CONIMBRICAE IN GYMNASIO REGIO ANNIVERsario dedicationis eius die 4. Kalen. Iul. LI.

D. EMMANVELIS F. PII FELICIS INVICTI, FILIAE. D. IOANNIS III. P. F. Inuicti. Sorori, Mariæ principi eruditissimæ, L. Andreas Resendius.


LABORANTEM *agricolam, oportet primum de fructibus percipere, inquit diuinus Paulus. Iuxta quam sententiam, omnes qui ex literario agro apud nos fructus proueniut, augustissimo regi fratri tuo optimo sane iure debentur. Ipsius ager est, ipse coluit, sementē ipse fecit, ipse huic agricolationi cōduxit operas. Nos quū fructum metamus, faceremus iniq;, si tanto agricolæ manipulos saltem aliquot non offerremus. Quare nostra academia eum morem recepit, vt quotannis certo die ad Gymnasium regium conueniat, & decretam regi laudationem audiat. Mihi pro officio,*

ea nunc

ea nunc obtigit prouincia. Scripsi breuem hanc orationem, quam præsentibus Conimbricensi amplissimo Antistite, Lamecensi electo, ita egi, vt auditus fuerim attentissime. Eam quum petentibus discipulis edere constituissem, meamq; non iam nouitiam in regem pietatem illi cuperem semper augmento aliquo patefacere, suspicionem autem adulationis vererer, consilium fuit, ad te mittere, quæ me etiam in tuam fidem non grauate pridem adcepisti. Nam & tu fraternas laudes leges cupidius, & ego tibi offeram verecundius, & quum minus ita videar blandiri, me tamen insinuabo,

Vale.

ORATIO.



I vllum vnquam fuit tempus, viri doctiſſimi,quo non modo mihi ipſe diſplicuerim, verum etiam mei me vehementer puduerit,hodiernus profectò dies eſt,quum in veſtro hoc conſeſſu, in hac hominum luce,atq; adeò frequenti totius ferè vrbis concione,de ſuperiore loco dicturus, concitatæ vulgo de me expectationi reſpondere ſatis non queo. Equidem ante hac,vt videor, ſuſceptas res ingenio ac oratione pro dignitate ſum proſequutus. Sed minoribus illis cauſis dicendi vis & ingenium paria fuere. Nunc verò, quum ex maiorum inſtituto ſolenne vobis eſt, anno vertente, ad regis noſtri Opti. Maxi. huius academiæ conditoris ac parentis laudes audiendas conuenire,quanto cauſa quidem exiſtit illuſtrior, quanto amplior materia, quod vireis omninò impares ad dicendum meas eſſe intelligam,tanto ego magis animo plane concidi, vt qualiſcumq; in me eſſe eloquentia videbatur,ſi non penitus obmutuit, certe reb. ipſis cõſiderandis, quib. minus eſt idonea,ita impediatur, vt niſi oratoris partes hodie mihi neceſſario eſſent agẽdæ, quas ſine ignominia ſubterfugere nõ poſſem,lõgè melius & honori meo & famæ cõſultum

fuiſ-

fuisse existimem, si amplissimũ hunc & ornatissimum locum nequaquam adscendissem. Multum tamen ex hac qua tenetur difficultate meus alioqui perplexus animus reficitur ac recreatur, quod nõ sum nescius omneis vos qua estis prudentia, quo in æstimandis reb. iudicio, intelligere, eã à me pro officio susceptam necessario esse prouinciã, quæ non modo perpusillam meam dicendi copiam obrueret, verum summorum etiam oratorũ, & ipsius si nunc resurgeret Ciceronis, torrenté illam eloquẽdi vbertatem diuexaret, vt minori iam pudore adficiendi simus, si amplitudini materiæ verba nó suppeditauerint. Quamquam ego quum paulo consideratius mecum rem ipsam cogito, & quid, nó dico iam in vniuersum omnes, sed priuatim ipse debeam mente voluo, magis profecto pudendũ mihi esse arbitror, si non dicam, quam si minus ornate dicam. Nam vbi vel necessitate, vel ex animi cãdore maiora viribus tuis attentaueris, si tua in ea re forte erit temeritas & audacia redarguta, pietas certè non poterit non laudari. Verum tanti ipsum te æstimare, tantum amare, vt illi⁹ per quem creueris causa, leuissimã eius quæ de tua eloquẽtia vulgo hominũ habeatur opinio, iacturam facere reformides, id verò non ingratum modo, sed etiam superbum, & adrogantia intolerabili plenum

esse existimo. Quare quum in hoc boni viri lædatur existimatio, in illo tantum disertæ orationis ac elegantiæ in dicendo fama delibetur, iniquum erit ingenij laudem nolle minui, deserti officij vituperationem velle potiùs incurrere. Adgrediar igitur ipsam rem, eoque iam cõfidentiùs, quo ad audiendum alacriores vos esse animaduerto. Tantam enim pro eximio vestro ac singulari studio, summaque in ipsum regem obseruantia, animorum vestrorum in me inclinationem persentisco, vt iam non metuam ne vobis non placeat quidquid dixero, etiam si in maxima rerum copia verborum ieiunitate essem longè quam sum inconcinnior. Neque vero me arbitremini ita loqui quasi omnia quæ dici possint, persequuturum me audeam polliceri. Pauca dicam, & tempori quod ad agendum in præsentia concessum mihi est, conuenientia, quod tamen quum anniuersaria vicissitudine superis bene iuuantibus redire soleat, ab alijs & ornatius & suauius longè plura, imò semper noua spero audietis. Mihi de summa pientissimi regis in Deum Opti. Max. religione, de prudentia, de iustitia, de animi excelsi atque inuicti magnitudine, deq; egregia in omni vita moderatiõe, placuit nõ nihil attingere. Ita enim dicam verius, quam narrare. Et quidem religionem intuẽti, quum se cer-
tent

tent ante vertere exēpla, de ijs, ita vt erumpunt, non ita vt fortaſſe ordo poſtulat, videtur incipiendum.

Δεινὸς χαρακτὴρ κ᾽ἐπίσημος ἐν βροτοῖς
Ἐσθλῶν γενέσθαι,

dixit Euripides. Et oſtendit Plutarchus grauis cum primis auctor, à parentibus ſemina quædam latentiaque virtutis principia in ipſa generatione liberis communicari. Minime autem ſperandum erat, vt à Diuo Emmanuele, Diuaque illa Maria, aliter morata ſoboles, prȩſertim prima, procrearetur. quũ ergo talem habuiſſet ortum Diuus IOANNES III. ab ipſa protinus infantia cum ætate illi creuit & paterna religio, & materna pietas ac ſanctitas, verum ita creuit, pace dictum ſit piorum manium, vt multis partibus adceſsionibusque redundauerit. Vererer nequis me hæc ad gratiam aucupandum loqui ſuſpicaretur, niſi dicerem apud vos, qui ea non tam exacte dici à me verbo, quam re ab illo fieri & noſtis & quotidie experimini. Sed tamen ſi quiſquam eſſet odioſe luſcioſus, qui in tanta rerum & exemplorum luce hallucinaretur, hunc ego ſubmonerem licere illi iſta tribus quaſi ex fontibus liquidò intueri. Ex ipſa regis pientiſsimi perſona, ex religioſiſsima domus regiæ diſciplina, & ex ipſo diuinitatis publicè amplificato cultu. Atque vt aliquid de perſona commemo-

rem, ecquemnam ex omnibus, licet antiquitatem omnem longe retro exquutiamus, ecquem nam inquam ex omnibus regem proferre poterimus, qui maiori studio ad diuina ferretur? quuius esset amplior & incorruptior numinis maiestatisq; summi dei veneratio? quuius mens ad persoluendam iustis honorib. Deo meritam gratiam promptior, magisúe memor? Qui magis, vel perparua cõscientię labe terreretur? Cui idcirco piacularium sacrorum vsus fuerit siue religiosior, siue frequentior? Olim solebamus flamines atque sacerdotes à precationibus in certas horas rite persolutis, ex frequẽti peccatorum ex homologesi, ab asiduua salutaris hostiæ procuratione, collaudare. Iã ne ea laus ad solos pertineret sacerdotes, regia pietas effecit. Nimium in rege esse id, & superstitioni proximum, obloquentur nonnulli. Sed Hercle neque vlla in deum nimia potest inueniri pietas, quæ reges dedeceat, neq; si posset, paulo meliores existimari oportet, qui vicina superstitione quasi perstringãtur, cõsceleratis quibusdã & impia fraude obligatis, qui velut ἄθεοι nullo deorũ metu conquutiuntur. In quibus videant ne numerãdi isti sint, qui quod admirari maxime per virtutẽ deberẽt, satagũt vitio vertere per malitiã. Sed rex nulla superstitiõe imbutus, verũ eximia pietate maximus, quales erga deũ cupe-

cuperet suos esse ciues, ex se primũ, deinde ex suæ domus & familiæ institutione, quæ quasi maiorib. theatris proposita, prælucet vniuerso populo, palam ostẽdit. Omitto quidquid de augustissima Regina dici poterat, quod ea res, sicuti laudis communione non minus cum causa viri coniuncta est, quam ipsorum inter se animi & mutuo amore & virtutis æmulatione coniunguntur, ita commodius hoc tempore ab hac communitate nõ secernetur, quum alioqui longissima separatim indigeret tractatione. Ad principis serenissimi educationem transeo, qui vnicus ex tam numerosa prole relictus est, in quuius iã verba volentes ac libentes iurauimus, de quo, si quid certi humanæ mẽtes augurari possunt, nihil non magnum, nihil non augustum nobis pollicemur. Hunc igitur quum ad regni tirocinium paulatim assuefaciat pater, & virtutibus omnibus quæ futurum regem deceant, ætatem illam teneram imbuendam curet, quæso nonne præcipuum à religione docet ponere rudimentum? Sed ego parum egi caute, parumque prouidè, qui de domesticis regiæ disciplinis sermonem institui, re videlicet aperta & prompta ad intelligendũ, non item ad dicendum. Nam quo te vertes, vt in promptu nõ sit religio & pietas, quam tamẽ verbis exsequi nequaquam possis. Porro auctũ amplificatumq; publicè maiestatis

diui-

diuinæ, & religionis cultum, quis tam peregrinus eſt, qui non norit? tam excors, qui non ſentiat? tã infeſtus virtuti qui nõ laudet? tam huic reipub. infenſus, qui nõ gratuletur? Etenim ſi veri, ſi grati velimus perhiberi, nõ fateamur ſolum, ſed etiam profiteamur oportet, Chriſtianorum ſacrorum ritus ceremoniasq́ue ſanctiſsimas purius & caſtius ſub hoc rege coli atq; ſeruari, quã antegreſsis aliquot ſeculis. Videlicet obſcurum eſt, hoc auctore eccleſiaſticã rem longe quam olim auguſtiori eſſe ordine conſtitutã, & aucto diœceſium numero multo iam commodius adminiſtrari. Deuotorũ ſodalitates in ſtatum priſtinũm veteri inſtituto reuocato inſtauratas. Procuratám in his regnis ſacroſanctæ religionis ſinceriorem puritatem, & datam gnauiter operam ne impunè peruerſis dogmatibus exoticiſq́ue doctrinis polluatur. Propagatam quoq; longe gentium in abditiſsimas terras, etiam ante hoc tempus ignoratas, Dei opt. max. notitiam, vt tametſi eæ gentes huius auſpicijs, noſtris armis, deuictæ ſint, earum tamen interfuerit ita vinci, bonóque illis ſit ſeruitutem eam perpeti, quæ in veram animorum adſerat libertatem, poſitoq́ue fœdiſsimo ſimulacrorum cultu, ac dæmonum abiecto iugo, quo obligatę atque detentæ ſuperſtitione turpiſsima conflictabantur, iam cœlum ſpectãt, iam omnium re-

rum

rum parentem adgnoscũt, sanctéq; venerãtur. Adumbraui excellẽtem regis nostri religionem. Dicam breuissime quanta prudẽtia, quam cõsideratis semper actionibus nostram gesserit rempublicam. Trigesimus est hic, magnaque ex parte iam exactus annus, ex quo regni insignibus, &, si prisco mihi more loqui permittitis, non sine solistimo tripudio est inauguratus. Quibus temporibus, si qua vnquam difficillima, nulla profecto cõstat fuisse difficiliora. Inter duos maximos ac potentissimos Christiani nominis principes, cum quorum altero nostræ reipub. omnes erant vetustissimæ amicitiæ necessitudines, cum altero, præter hæc, etiam huic arctissima sanguinis amorisq; coniunctio, acerbum diuturnumque bellum exardebat. Imo ex ijs duobus conflato, ita Europa vniuersa pœne conflagrauit, ita profana ac sacra vis incendij eius inuoluit, vti non modo vrbem Romã sedem stabilem & domicilium Christianę sanctitatis, delubraque sanctissima, atque sacrorum antistites, verũ ipsum etiam maximum publicæ religionis pontificem ac magistrum, flamma corripuerit. In his difficillimum erat partium studijs non teneri, quum præsertim hinc conquestionibus crebris, & in iras non obscure iam erumpentibus, illinc apertis violatæ pacis significationibus, insuper adceptis, infesto

per emissarios piratas mari, aliquot incommodis, vrgeretur. In quibus molestijs ita se moderatrice gessit prudentia, vt neque consanguinitati defuerit, neque amicitiam læserit, neque suũ regnum passus sit funestissimo bello implicari. Multa præterea dici ac commemorari à me posset, quę consulto prętermittẽda esse duxi, ne lõgissima vos oratione cogar detinere. Illud summatim ac breuiter dictum sit, nouos sæpe casus se obtulisse, ad quos nisi consilia maximę prudẽtię plena adcommodasset forte neque tã firmę nostrę opes, neque tam florentes nostræ modo res essent publicæ. Non ignoro aliquam multos esse, qui, vt est generosa Lusitanorum indoles, & ad belli gloriã quã ad pacis artes ab natura pronior, hæc vsq; adeò nõ probent. Quin etiã recordor quum ista contingerent, plærosq́; vulgo bellum inclamasse, & in optimum prouidentissimumq́ue principem licenter stomachum erupisse, quasi illi vitio verterẽt, quod nimiũ studiosus esse pacis videretur. Sed illorum ego sicuti animorum alacritatẽ ad bellum pro patria suscipiendũ non vituperarim, ita huius factum nolim repreendi. Neq; enim, si illi verè se Lusitanos, hoc est, fortissimos fidelissimosq́; ostendebant, committendum huic erat, vt se Lusitaniæ verè regem esse, hoc est patriæ parentẽ, non ostenderet. Sciebat ei se gẽti imperare,

quæ

quæ non vinci ſed vincere conſueuiſſet, cui fortunarum capitiſq; pericula omnia poſteriori loco ſint, quam regis non modo ſalus ac dignitas, verum ipſa etiam imperia. Sed ſimul intelligebat nullam eſſe victoriam tã facilem, vt magno rerum ac ſanguinis pretio non ematur. Quare parteis eſſe ſuas iudicauit, talium ciuium cómoda habere cariſſima, vt interim illud non omittam, nũquam cum Chriſtianis tam iuſtum ſuſcipi bellum, quin multum ſceleris contineat dum indicitur, multo plus contrahat dum adminiſtratur. Chriſtiana igitur moderatione vſus rex ęquiſsimus, nefario bello tum ipſe abſtinuit, tũ illud cupientibus denegauit. quod ſi qui pręferoces atq; bellicoſos vſq; eo titulos admirãtur, ijs Indici Carmaniciq; triũphi in mentem veniant, ij inquam debellatos non ita pridem reges potentiſsimos, bellicoſiſsimas nationes iugo preſſas, Turcarũ peſtiferã gentẽ & vnis omnium Chriſtianorũ Luſitanis infenſiſsimã, toties illic ad internecionem cæſam atque deletam, in memoriam redigant, ſibiq; gratulentur, quod regis verè maximi prudentia foris vincant, domi pace ſalutari perfruantur. Porro de iuſtitia dicturus, vt breui rem abſoluam, non hęrebo in commonſtranda legum noſtratiũ ęquitate, qua tanta pollet, quanta quæ vſpiam apud vllas gentes æquæ ſanctæúe, aut ſint,

aut

aut fuerint. Non in magiſtratuum creandorum diligentia iuſtitiæue adminiſtratione percommoda, quandoquidem hæc tametſi rex æquiſsimus præſtat, ac bona ex parte etiam vel inſtituit, vel correxit, videtur ea tamen ſimul cum hæreditate quam auxit, à maioribus adcepiſſe. Ad illud quod propriũ & peculiare ipſius eſt, mea feſtinat oratio.

Δίκαιος ἂν ἦς, ὃς τρόπῳ χρῆται νόμῳ,
dixiſſe Menandrum legimus. Iudicabat homo peritiſsimus illum iuſtum re eſſe vera, qui moribus tãquam legibus vteretur. Cernite igitur animo, viri ſapiẽtiſsimi regis noſtri mores, & ſi à iuris ęquabilitate deflectãt, mendacij me atque vanitatis reum coarguite. Non alea, nõ luſionibus vllis delectatur, non profuſo comeſſationum adparatu, aut epulari adcubatione tempus rebus agendis ſubtrahit. Solus more maiorum, propalam atque in omnium conſpectu cibum capit, ſine omni vinolenta potione. Coniugium, ſi quis alius, ſeruat integrum & incontaminatum. Veſte vtitur non tam pretioſa, quam munda, nigra, tonſa, vel vt multum, villicriſpa. Bombycinæ vſu, quem ſuis interdixit, ipſe primus ita abſtinet, vt ſi cultum ſpectes, vnum ex priuatis aliquem iudices, quũ tamen inceſſum, grauitatem, ac vultus maieſtatem intuearis, protinus regem adgnoſcas. Hi mores, quum nihil à legibus diſcrepent,

dubium

dubium ne eſt, ita moratum regem iuſtitiæ fore ſtudioſum, atque à tyrannica dominatione abhorrentem? Mihi verò iuſtitiam & continentiam huius intuenti, non modo patria hæc à tyrannide omnino videtur aliena, ſed, quod cum magna mea voluptate dico, etiam vnà omnium vel maxime. Multas ego viri clariſsimi, ingenij excolẽdi cauſa, regiones peragraui, in quibus non tam aliud ſemper egi, vt quamquam id curioſe nõ exquirerem, conſuetudine tamen has vulgi conqueſtiones non audirem, reges, dynaſtas, magiſtratus, in bona ac fortunas priuatorum tecte, aperte, iure, iniuria, inuolare, tributis, fiſci aucupio, oblationibus, collectis, indictionibus, cenſibus, præſtationibus, nullum eſſe modum. Atqui in Luſitania expedita ſimplexque eſt canonis ac vectigaliũ præſtatio, exactio minime violẽta, redẽptoribus perfaciles remiſsiones, oblationes vero vt moderatæ ac raræ, ita iuxta nominis notationem ſponte in conuentibus oblatę, indictiones nullę, cenſus omnino ignoratus, penſitationum cæterarum aliter atque aliter adpellatarum, ſumma immunitas. Iuſtiſsimi ergo ſunt, &, vt ita dicam, exſangues noſtri regis annui reditus. Quos tamen ſi quas in res inſumat exquiramus, inueniemus magis quẽpiam ęrarij publici ordinariũ diſpẽſatorem, quam principem ſuę ipſius rei

dominum. Quotam enim eorum partem in ſuos priuatos vſus & baſilicanas functiones decerpit? Claſsibus ædificandis, & tam naualibus ſocijs, quam militibus ad regni tuitionem ornandis, molibus ac naualibus exſtruendis, arcibus muniendis, præſidijs alendis ac ſuſtētandis, fluminib. arcēdis, nouis pontibus faciendis, quíue conlapſi vetuſtate ſint reſtituendis, paludibus exſiccandis, & in ſolum frumentarium redigendis, annona duriore ſubleuanda, rectoribus prouinciarũ vrbiumq́ue magiſtratibus ſalarijs conſtituẽdis, alijſq́ue rebus ſimilibus faciendis, regij fiſci, & ex barbaricis victorijs theſauri, penitus exhauriuntur. Teneri ad id ex officio faciendum, dicet aliquis, & commeritũ in ſe culpam, ſi prætermiſerit. Sit ita ſane. Sed hoc idem, eſt iuſtũ eſſe regem, qua de re nunc agimus, videlicet iuſtam effugere repreenſionem. Ego autem vobis ante oculos exponam alia, quæ ad ſolam beneficentiam liberalitatemq́ue pertineant, quæque prætermiſſa repreenſionem meritam nō incurrant, vt tum ex priori illo genere, tũ vero ex hac magis populari plauſibiliq́ue iuſtitiæ parte, non modo ſuis, ſed etiam exteris, & admirabilem & amabilem debere eſſe hunc, merito eius fateamini. Rhodũ ærũnoſam illã obſidebat immanis Turcarũ exercitus, & conniuẽtibus ijs qui reipublicæ Chri-

ſtianæ

ſtianę duces vel perhiberi primi, vel ſoli eſſe contẽdunt, noſter hic claſſem omni bellico adparatu inſtructiſsimam eò miſit. Quæ niſi aduerſis ac omnino incõmodis tẽpeſtatibus eſſet iactata, adeo, vt ad tẽpus adeſſe non potuerit, forſitã illud aduerſus noſtræ religionis hoſtes nobile propugnaculũ nequaquã amiſiſſemus. Pauci interfuerũt anni, & legatos cũ magna auri atq; argenti vi in Germaniã miſit, vt ibi quãta maxima fieri celeritate id poſſet, mercede cõflarent exercitũ, qui periclitanti Ludouico Pannoniæ vtriuſque regi, auxilium faceret. Vnuſque omnium propemodũ fuit, qui regis illius labores miſeraretur. Exercitum ducebat Carulus Cæſar in ea expeditione qua vagantẽ per Pãnonias Turcarum imperatorem reprimeret. Is exercitus quum eſſet maximus & fortiſsimus, &, ſi rei nummariæ foret cautum, cæteris omnibus videretur ſatis contra hoſtes eſſe munitus, num obcluſa fuit huius in conſobrinum liberalitas? Si meum ea de re teſtimonium tã graue exiſtimarem futurum, quam amplum verumque eſt, dicerem viri clariſsimi, vidiſſe me, quum ab legionibus non minori alacritate abſenti regi, quam præſenti imperatori eſt adclamatum. Recentior multo eſt Tunetenſis expugnationis memoria. Quæ claſsis auxilio miſſa? Quantus virorum ex ſelecta nobilitate adparatus? Ducem

commemorare nollem equidem. Nam videtur indignum breui tantum oratione attingere Loiſidem animoſum principem, regis eius fratrem germanum, ſtudijs, armis, ac tot alijs nominibus rebuſque magnum, quuius vnius conſilio atque animo fretus Cæſar, diſſuadentibus, imo & à cœpto deterrentibus ijs qui rei militaris omnium peritiſsimi habebantur, & vrbe potitus eſt, & victoriam glorioſiſsimam reportauit. Sed redeamus in patriam, & vt multa eius vrbibus & oppidis præſtita beneficia trãſcurramus, nempe alia ex municipiali cõditione in adpellationem ciuitatis, iussa meliori eſſe iure, tranſijſſe, alijs auctiorem datam immunitatem, alijs magnificentiſsimos aquarum ductus exſtructos, alijs delubra ac templa ſumptuoſiſsime ædificata, religioſiſsime effecta, vt hæc inquam breuiter tranſcurramus, poſſumuſné ſine flagitio præterire, neminẽ in his regnis reperiri, quuius exſtent vllæ maiorum imagines, permultos verò quorũ nullæ, cui ex fiſco annua nòn præbeantur, quuius liberi in aula tanquam in communis parentis domo cultum non capiant? Itaque inde commoda adcipimus, inde alimur, inde victitamus, vt non minus verè quam feſtiue & ſalſe quidã dixerit, alibi, ſolere reges eos quibus imperant vectigaleis facere, nos autem ipſum regem habere vectigalem.

Vide-

Videorne vobis, viri clarissimi, munificẽtissimã augusti Regis liberalitatẽ satis aperte demõstrasse, an testatiorem eam fieri postulatis? Intelligo quid exspectetis. Sed me dulcis quidam amor, ac potius pietas, ducit, rapit, trahit, vt alioqui festinantem coëgerit his commemorandis diutius immorari. Satisfecerat officio Rex inclytus, satisfecerat omnibus, & quidẽ omnium iudicio etiã prolixe satisfecerat, bonitati tantum naturę suæ satis esse factum non putauit, dum aliquid esset apud alias cõmodis moribus institutas, nationes, magnum ac splendidum, quod nos desiderare possemus. Præter literarum in omni disciplinarum genere asiduam exercitationem, erat nihil. Ea vna in re ab Italis, à Germanis, à Gallis, ab Hispanis, superabamur. Non quod parum idonea ab natura nostrorum hominũ essent ingenia, Possum enim ostẽdere Lusitanos & philologos esse, & intra quinquaginta proximos hos annos non pauciores triginta floruisse, etiam scriptis editis, qui veteribus quum dictionis elegantia tum rerum grauitate, posint iure conferri. Possum mulieres quoq; ostendere quæ cum omni vetustate certent eruditione ac in primis Mariam regis nostri sororem. Sed quia ad cultum ingenij capiendum fere oportebat peregrinari, nimirũ quibus ad id conandum aut suæ facultates, aut principis

deeſſet benignitas, emergere nequaquã poterant. Eoq́ue fiebat, vt paucioribus felicitas ea contingeret. Non eſt igitur paſſus, nos vltra eius rei commoditate deſtitui, ſed noua conſtituta academia, quantum doctrinarum, quantum elegantiæ, quantum linguarũ ornatiorum apud omnes portionibus habebatur, tantum ſuo regno ſimul inuexit. Conquiſitos vndique viros excellenti eruditione præſtãteis magnis propoſitis pręmijs & honoribus, cõuocauit. Scitis ita eſſe, adeſtis, video ego vos, viri doctiſsimi, quorum me non ſolum mirum in modum recreat, ſed etiam cum incredibili voluptate iucundiſsimus detinet adſpectus, quorumq́ue in oculis ac vultu libentiſsime adquieſco, à quibus nominatim adpellandis ægre Hercules me contineo, niſi quod ſuſceptum de rege dicendi onus, orationem non patitur euagari. Elegit autem vrbem hanc, in qua ſedes & domicilium ſapientiæ conlocaret, ſiue quod ea in media eſt Luſitania, ſiue quod loco ſita ac cœlo minime calamitoſo, grauioris aëris offenſionibus per admodum raro eſt obnoxia, ſiue quod eam vrbem voluerit honorare, quę ab initio rerum Luſitanarum caput gentis & regum ſedes ferebatur. Et ſane videtur diuinitus eſſe factum, vt ex qua vrbe olim quaſi ab incunabulis regni, armatæ legiones egrediebantur, quæ debel-

latis

latis Maurorum tyrannis, imperium in vniuersam Lusitaniam paulatim propagauerunt, ex eadem nunc armatæ aliter exeāt legiones, quæ omnem barbariem profligent atque exterminēt. Igitur Conimbrica, quuius venerabilior iam erat ipsa antiquitatis memoria, quam mœnium ædificiorumq; species venustior, pleniorúe celebritas, nūc deniq; renata senectutem exuit, nouam induit faciem, nouam figuram, aucta ciuibus, cumulata populo, totius Lusitanæ iuuentutis flore frequētata, superbissimis ædificiorum molibus decorata. Delassor, viri doctissimi, deficit me oratio. Non capit animi mei angustia tantam rerum immensitatem. Quare vt cōpendium verborū faciā, valete post hac splēdidissima Italiæ gymnasia, Valete insignes Parisij, Vale nobilis ac docta Salmantica, & illæ priscæ totoq; olim orbe celebres Athenę: Valete, valete externi oēs. Satis diu sumis in vestris vrbib. peregrinati. In sinum gremiumque patriæ, optimi principis beneficio iam recipimur. Non potuerūt à me hæc, viri clarissimi, breuius magisúe concise enarrari. Reliqua est illa pars, quā de animi excellentis magnitudine vitæque moderatione ac constantia polliciti eramus. Sed quoniā etiam ex ante dictis, excelsus ac ingens regis animus comprobatur, quæ autem de eius in omni vita constantia,

& caſuum aſperiorum modeſta perpeſſione dici poſſent, eiuſmodi ſunt, vt eorum etiam nunc recordationem non minus vobis quã mihi fore acerbam certo ego ſciam, viderer parum facere liberaliter, ſi commemorandis tot liberorum orbitatibus, tot fratrum optimorum amiſsionibus, in quibus infractus atque inuictus regis, maximi animus omnino nihil à ſua dignitate diſceſsit, lætitiã hodiernam contaminarem. Quin imo alacres ac læti, religioſiſsimo Regi, prudentiſsimo, iuſtiſsimo, beneficentiſsimo, temperantiſsimo, vereque parenti patriæ, à Deo Opt. Max. ſalutem incolumitatemq́; precemur. Pro eo vota ſuſcipiamus, vt quam diutiſſime nobis viuat, is, qui ſi vniuerſo præeſſet terrarum orbi, tum iure optimo per omnium ora volitaret Homericus ille verſiculus.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς,


Dixi.

L. AN-

L. ANDREAE RESENDII LVSITANI ORATIO DE SYNODIS.

IN SYNODO EBORENSI HABITA ANNO CIↃ IↃ. LXV. MENse Febru. Præside Ioan. Mello Archiepisc. Eborensi.

CONGREGATE illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia. Psalm. 49.



OTA hæc vniuersitatis machina, Præsul amplissime, regitur à Deo & gubernatur. Verum enimuero vt situ, locísque distinguitur, sic & varie administrari solet. Aliter enim cœlestes orbes, aliter terræ globus, aliter deniq; infera regna, quem Infernum nominamus, reguntur: eoque admirabilius singula, quo propius à diuina absunt essentia. Hinc admirabili quadam contentione, ac vicissitudine cęlestes orbes, volui atque agitari videmus, quo ordine à Deo sunt collocati, vt ne latũ quidem vnguẽ loco decedant. Quid verò si cœlestes illos, & hierarchicos spiritus huma-

nis oculis cerneremus? qui vt Deo proxime
assistunt, sic (teste Daniele oculis eos spectā-
Daniel.7. te,) *millia millium ministrant ei, & decies centena*
millia aßistunt ei. Credo equidem, homines ta-
metsi duri sint & præfracti, eos spiritus in
sui admirationem, stuporemq́; rapturos, &
ad imitandum prouocaturos ad Dei amo-
rem: vt, quoad eius fieri in mortali hac vita
potest, imitando ad Deum proximè accede-
re liceret: quorum in eo studium omne con
sumitur, vt Deum assidue laudent, ac cele-
Isaia 6. brent, vt Isaias ait, *Seraphin, &c. clamabant al-*
ter ad alterum, SANCTVS, sanctus, sanctus, Do-
minus Deus exercituum: Plena est omnis terra glo-
ria eius. Cumq́ue in terris ad imaginem Dei,
similitudinemq́; conditus homo sit, animal
particeps angelicæ dignitatis ac perfectio-
nis, *Minuisti enim eum paullò minùs ab angelis*, il-
Psalm. 8. lisq́; diuinis spiritibus in custodiā, tutelam-
q́ue sit traditus, quorū etiam à morte cōsor-
tium spe pręceperit, sane nostrum est, vt eos
iam tum in vita imitari assuescamus. Nostrū
inquam, est, qui homines sumus ratione prę-
diti, tum verò maximè propriū id officium
est eorū, qui in Ecclesiastica hierarchia cen-
sentur: quæ cœlestē illam referre potissimū
videtur. Quare cum hæc Dei ciuitas, vna sit,
eademq́; Hierusalem, nosq́; per fidē adscri-
Ephe.2. pti simus, vt Paul. ait, *ciues sanctorum, & dome-*
stici Dei, licet in terris peregrinemur à Domi-
no,

no,vt commune nomen,Regis benignitate adepti ſumus, ſic & morib. ſimiles nos eſſe decet ijs qui in cœlis habitant:Morib. inquã, vt iuſtitia,vt cõtinentia & integritate, vt laudib.diuinis perpetuo decãtandis. Quamobres hæc S.ſcripturę verba in ampliſſimo hoc conſeſſu,pace veſtra , explananda ſuſcepi: *Congregate illi ſanctos eius,qui ordinãt teſtamentũ eius ſuper ſacrificia.* Non deerit fortaſſe in hac audiẽtium corona,cui hæc ipſa verba nõ ſatis plana videãtur,neq; Eccleſiaſticis Deoq; ſacratis hominib. videri attributa: quaſi *ſanctos,qui ordinant Teſtamentũ Dei,* propheta intelligat ſacerdotes noſtros: verũ vbi ſancti ac Teſtamenti notionẽ, remq; ſubiectã breui explicauero, meridiana luce clarius euadet,rectè his aptari,nullamq;vim eſſe allatã. *Psalm.49.*
Sãctam enim,extra cõmunem illam, tritamque ſignificationẽ adhibetur in ſacris literis pro re omni Deo ſacro cultuiq;diuino deſtinata.Sic primogeniti *ſancti* appellãtur: *Omne maſculũ adaperiens vuluã Sanctũ Domino vocabitur.* Et de Nazarȩis Deo,dũ voto obſtricti eſſent,dicatis,Num.*6.Omne,*inquit,*tẽpus ſeparatiõis ſuæ nouacula nõ tranſibit per caput eius,vſq; ad completũ diẽ,quo Domino conſecretur, ſanctus erit creſcẽte cæſarie capitis ei⁹.*Et Deut.7. *Populus ſanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tu⁹, vt ſis ei populus peculiaris de ſanctis populis,qui ſunt ſuper terrã.*Rurſus Ioſ.*20.* ca.de ciuitatib. *Luc.2.*

quas

quas Deus homicidis recipiendis ſelegerat, Hebraice ſic legitur, *& ſanctificauerunt cades in Galilaa.* De ſacerdotibus vero Exodi duodetriceſimo cap. ad Aaronem, eiusque filios verba faciens, *Cunctorũ,* inquit, *conſecrabis manus, ſanctificabiſq; illos vt ſacerdotio fungantur mihi.* Iterum in coniuratione Core, Dathan, & Abiron, qui ſacerdotij munus inuadere tentabant, Numeror. 16. ad Moyſem loquens: *Manè faciet Dominus, qui ad ſe pertineant, & ſanctos applicabit ſibi.* Mox addit: *Et quemcunq; elegerit ipſe erit ſanctus.* Poſt enim cap. 18. explanat: *Ego dedi vobis fratres veſtros Leuitas de medio filiorum Iſrael, & tradidi donum Domino, vt ſeruiant in miniſterio tabernaculi.* His, pluribuſque aliis locis planum fit in ſcriptura *ſanctos* appellari Sacerdotes, à plebe ſegregatos, Deoq; conſecratos, & cultui diuino intẽtos. Sed quod hic eſt *teſtamentum* Dei? Ad viſitatam illam Teſtamenti notionem, qua Iuriſconſultorum filij vtuntur in teſtificatione vltimę morientis voluntatis, de bonis heredi relictis ẽt in ſcriptura pro *lege Dei* frequẽter adhibetur, vt in Pſalm. illo 118. qui totus omnibus verſibus de lege diuina eſt: & Pſal. 24. *Vniuerſa via Domini, miſericordia & veritas, requirentibus Teſtamentum Dei, & teſtimonia eius,* In pactis etiam & federibus vſurpatum nomen, vt Machabæorum 3. *Eamus & diſponamus teſtamentum cum gentibus qua circa nos ſunt:* ſic

ſic & *arcam Teſtamenti* ſeu federis appellamus vt pacti diuini cum populo Iſraëlitico pignus: veteremque legem *vetus Teſtamētum* nominamus. Magis vero proprie *nouum Teſtamentum*: tanquam vltimam Chriſti in Cruce morientis voluntatem: quum nos heredes ſcripſit, & in vltima cœna ſacroſanctam Euchariſtiam inſtituens, dixit: *Hic ſanguis meus nouiTeſtamenti eſt*, vel vt alius Euangeliſta recitat: *Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Hoc ipſum Sacramentum, hæc myſteria ſacerdotes adminiſtrant ſacrificādi vſu, & fidelibus Chriſtianis porrigunt. Cùm igitur vates ait, *Congregate illi ſanctos eius*, non quoſlibet, ſed *qui ordinant teſtamentum eius ad ſacrificia*, ſacerdotes nimirum cœtum, cōuentumque agere iubet, qui IESV Chriſti pretioſum corpus, & ſanguinem iugi ſacrificio offerunt, atque diſpenſant. Itaque Hebræi clarius paulò id efferunt. *Congregate mihi ſanctos meos, qui mecum inerunt pactum de ratione ſacrificiorum.* Pactum vero illud ictum fuiſſe cum tribu Leui clarum è Numer. cap. 25. vbi de Phineo Eleazari filio, *Ecce ego*, inquit, *do ei pacem federis mei, & erit tam ipſi, quam ſemini eius pactum ſacerdotij ſempiternū, quia zelotes eſt pro Deo ſuo.* Et Machab. 2. *Et ſcietis quia miſi ad eos mandatum iſtud, vt eſſet pactum meum cum Leui.* Quæ cum ita ſint, perſpiciunt omnes, verba ad rem, qua de agitur, pertineri, neq; vi quadam

Matt. 26.
Luc, 22.

dam huc contorta videri. Nunc mẽbra singulatim expendamus: vos, quæso, diligẽter attendite. *Congregate illi sanctos eius*: triplicem esse obseruaui sacerdotũ conuentum, quam *Synodum* Græci, Latini *Conciliũ* appellare cõ-
I. sueuerunt. Est n. aut Oecumenica Synodus, seu generale Conciliũ (οἰκουμένη enim orbis terrarũ Græcis est) cum totius orbis Episcopi de fidei controuersijs aduersus hæreses acturi cõueniunt: quale nunc Tridenti agita-
II. ri oẽs scimus. Aut prouinciarũ est, cum Archiepiscopi seu metropolitani Episcopos,
III. suæ ditioni parentes cõuocant. Tertia forma, cum Episcopi sacerdotib. & Theologis suis Synodũ indicunt, vt de vitiis purgãdis agatur. Oecumenica synodo indicta aduocãtur Episcopi, Archiepis. & Patriarchæ orbis totius Christiani, summi Pontificis, qui præsidet, auctoritate: nec. n. aliter legitima haberi solet. Qui cœtus Ecclesiã Catholicã repræsentat vniuersam atq; exhibet. Indicitur potissimũ eo fine, vt hęreses grassantes tollãtur purgenturq́; potiùs, q̃ vt noua fidei dogmata cõdantur: q̃ iam pridẽ in Ecclesia rata ac definita sunt è sanctorũ Patrum scriptis & Synodis: iam inde à Nicęna ad hęc vsq; tempora constituta ac fixa Catholicis tradũtur. Interdum etiã vitijs tollendis haberi solent, iisq; quæ in abusum abierunt, purgãdis. Nõnunq̃ etiam indici solent mutandis iis, quæ olim

olim salutariter, vt illa tẽpora erant, decreta fuerant, post verò tolli, commodo publico, mutarique ac corrigi expediat. Quæ quidẽ mutatio cum fidei nihil deroget, iusta videtur, rataq; habenda, temporũ ita vicissitudine postulante. Princeps tamen causa generalis Concilij indicẽdi est hæreticorũ vt audacia infringatur: ꝗ totius Ecclesiæ auctoritatem cõtemnentes, in dubium vocare nõ vereantur, quæ tot retro sæculis pro veris tradita, acceptaque sint, è sanctorum Patrum, Conciliorumque auctoritate ac fide, vigeantque in Ecclesia Catholica, matre nostra, Christi sponsa: quæ ab Apostolorum temporibus continenter, tamquam per manus tradita, piè credidit, religioseque seruauit. Rectè agitur, mea quidem sententia, & vt pleraque diuinitus in Repub. sua Plato sanciuit: *Vobis*, inquit, *si rectè constitutæ leges sint, vna certe lex erit præstantissima: quæ iubeat, ne quis iuuenum quærere audeat, rectène an secus leges se habeant: sed vno omnium ore, vnaque voce rectè, tanquam à Dijs positas concedi præcipiat: nec vllo modo aliter pati quidquã à iuuenibus excogitari. Senem quidẽ, si quid excogitarit, principib. & æqualib. nemine iuuenũ audiẽte referre.* Et in Chalcedonensi Synodo, vt de Christianis inter Christianos agam', cautũ accepim', ne quis in decreta Cõcilij Niceni inquirere auderet (vt, qui reb. nouis student, partiumq; studio

Lib. 1. de Legibus.

ducun-

ducuntur,ſolent;diſcordiæ auctores, & architecti.) Cum acclamatum à Patribus vniuerſis: *Si quis retractet, anathema ſit: Si quis ſuper iſta re quærat, anathema ſit. Maledictus qui addit: maledictus qui aufert: maledictus qui renouat.* Quæ cum ita ſint, quis, quæſo vos, per Deum immortalem, Luthero permiſit, priuato homini, non Epiſcopo, Religionis auitę cõtemptori, qui cœnobij ſepta monachus trãſilijt, & apoſtata fidei maiorum; ceteriſque eius veſtigiis hærentibus hæreticis: quis inquam, poteſtatem illis fecit, iuueniliter inſultare, ſine Epiſcopi dignitate vel auctoritate publica, omnium ætatum conſenſioni repugnare? Et quod his grauius eſt, abſque vllo Dei metu non ſolum inquirere in veterum decreta non dubitant, ſed & quæ recta, certa, fixaque ſunt, temere condemnare audent. O tempora, ô mores? Quæ Erynnis, quæ furiæ cęcos illos in eam mentem, audaciamq; impulerunt, vt inconſutilã, textamque integre Chriſti veſtem diſſuere tẽtent? Quis ſcripturas arbitratu ſuo impie exponere contra Patrum mentem, iudiciumque Eccleſiæ orthodoxæ docuit? Lutherus. Quis contra Synodorum, Theologorumque omnium auctoritatem niti ſuaſit? Lutherus fera quauis immanior. Reſpice Domine vineam iſtam: Eccleſiam ſpõſam tuam; *Exterminauit eã aper de ſylua, & ſingularis ferus depa-* Pſalm. 99.

ctus

ctus est eam. Legem olim Deus populo Israëlitico laturus, non solum ascendere mõtem vetat, sed nec ad radicem quidem mõtis accedere permisit. *Omnis*, inquit, *qui tetigerit montẽ morte morietur: siue iumẽtum fuerit, siue homo, non viuet: Lapidibus opprimetur.* Exod. 19. Vni permissum Moysi montem ascendere. Quem locum in glossa ordinaria, sic interpretes explanant: *Ne quis vtra intelligẽtiam suam ad montem S. scripturæ audeat conscendere.* Præterea, quod mihi prope religio sit dicere, rudes, priuatosque homines bestiis comparat: *Siue iumentum fuerit (stultus iumẽto comparatur: siue homo) sapiens, reputatione sua:* Quamobrem, turpe, profecto inauditum, & audax facinus, ausum esse nostra tempestate homuncionem, sine doctrina, sine scholarum exercitatione, sine magistris, & Episcoporum auctoritate, vniuersæ Ecclesiæ obstrepere, Conciliis & SS. Patribus repugnare. Cum sacrosancta sit, vt scitis, Conciliorum auctoritas, & ius suffragij soli Episcopi, nulli vero sacerdotes; tametsi clari, sententiæ dicendæ ius habeant. Itaq; in eiusdẽ Chalcedonensis Cõcilij actis legere memini, acclamatum sæpenumerò, fuisse, *Synodus Episcoporum est, non clericorũ. Superfluos foras mitte.* Nõ fugit ea res olim lõgè diuersum ab illo, Martinũ Archimandritũ. cui cum & acta capita Synodi Ephesinę oblata essent, ab Eutyche, qui in Cõstantinopolitanã secundã publice accersit⁹ erat, vt ac-

cusatus causam ageret suã: cumq; se capitib. illis defendere conat⁹, vt subscriberet misisset, prudenter ille recusauit, hoc addito elogio: *Non est meũ subscribere: episcoporum tãtũ est eorum qui digni sunt.* Quinetiam actiõe prima Concilij II. Chalcedonẽsis, aduersus Eutychen habiti legitur, fuseq; repetitur actiõe 4. secundæ Synodi Bizãtinę, ne Regi quidẽ aut Imperatori in synodis, tametsi adsint, definiendi ac decernẽdi ius esse: parendũ illis esse, & subscribendum ijs quę ab Episcopis decreta essẽt: mandatũ prętereà, vt decretis publice seruãdis opem auxiliumq; qua possẽt, Principes ferrent. nam & illos oues, non pastores gregis esse, si quid amplius contra fidẽ audeãt, ex ouib. lupi euadunt. Quod si, vt est verũ esse cognoscimus, quid de Luthero nihili homine, & vecordi, eiusq; similib. dicemus? Qui nullũ in Concilio sentẽtiæ dicendę ius cum habeãt, audent tamen temere discedere ac reiicere, quæ omnib. retro seculis à maioribus tradita posteris, & credita sunt. Verũ hisce pilis satanas ludit: hos vtres vẽto plenos vltro citroq; cacodæmon impellit. Huc vocat Lutherus in suã synogogã, illuc Oecolampad. aliò Zuingl. ducit, alio Varemũdus. Melanchthon aliud docet, aliud Anabaptistæ. Sua est nouis Euãgelicis semita: diuersa sacramentariorũ via. ó felicem olim viris, nunc verè miseram Germaniã: quę tot tantarumq; sectarũ prodigia, opinionumq;

monstra gignat,& alat,singuli sectarij dicũt *Ecce hic est Christus*.at Christus reclamat:reclamat & Euãgelij tuba Paul.*Diuisus est Christus? an dissensionis Deus est,& nõ pacis?*Nimirum quo spiritu rapiantur illi vel ea res satis argumẽto est,ꝙ nec legib.pareant,nec principib.dicto audientes sint.Cumq; maximè inter sese opinionũ varietate pugnent,vna in re cõsentiunt, dũ Pontificis Maximi auctoritatẽ contẽnunt,Ecclesiæ Catholicæ doctrinã reijciũt: quodq; mirandũ magis, magisq; etiã deplorandum,ad Oecumenicum Conciliũ Tridentinũ vocati,venire recusant: ꝙ toties tamen vno oẽs ore efflagitarãt, ea spe vt negaretur.Indicto vero Cõcilio, & ne quis tergiuersandi locus illis relictus esse videretur,Tridentum,hoc est, in ipsis Germaniæ faucib. quo in oppido & lingua cõmunis est, & tutis versari liceret. At causæ iniquitati diffisi sistere vadimonium nolunt.Pontificis studium in sarcienda Ecclesiæ cõcordia repudiant: tot,tantorumq; Cardinaliũ,Legatorũ,Episcoporũ, Theologorũq; doctrinã irrident,reijciunt,atque explodunt. Verum, vt Sapiẽs ait, *Impius cum in profundum venerit peccatorũ,cõtemnit*, vnde & in illos,quod subijcit, quadrare videas. *Sed sequitur eum ignominia, & opprobrium*. Eo enim causę deducta iniquitas est,vt ignorationem culpę prętexere, imprudentiamque nequeant. Igitur quoties Sectarij, vt lupi,gregem CHRISTI

Mat. 1. 23

1.*Cor*.2.

inuadere,quoties pesté perniciemq́; Christi regno,sanguine empto adferre audent,præsens hoc remediũ, medicamẽtumq́; adferre solet Ecclesia Catholica, vt conuentũ Episcoporũ oiũm ageret, Cõciliumq́; indiceret Oecumenicũ:sic remediũ gliscenti malo adferre,sic dogmata stabilire consueuit.Horũ decretis qui parere obstinato animo nollẽt, & partiũ studio ducti hos vel illos deuij sequerentur,ij in præceps ruere dicti & hæretici,sectarij,atq; schismatici nũcupati; quod ab vno mystico Christi corpore, sponsaq́; Ecclesia Orthodoxa temere discessissent.

Ephes.4. *Vnus .n. Christus,vnus Deus,vna fides, & vnum baptisma est,*inquit Paulus,Presens itaq; laborãtis Ecclesię medicamentũ est, Cõgregare,vt *Psalm.49.* Propheta iubet,sanctos eius. Altera vero sacerdotũ aggregatio Conciliũ efficit, vt vocãt,*Prouinciale:*sic dictum ꝙ prouinciæ Episcopi oẽs Archiepiscopi auctoritate cętũ ineant:in quo non de controuersijs fidei,vt in Oecumenicis,sed de recta Ecclesiæ administrandę ratione, litibusq́; cõponendis, consensione quadã cõspirant. Tales sæpenumero Synodos habitas esse scimus, & legimus: & in hac ipsa Hispania complures: præcipuè vero Toleti,& in Lusitania nostra,Bracarę: Quæ concilia eo potissimũ cõsilio à maioribus nostris salubriter indicta, quẽadmodũ ex Decretis vtrorũq; apparet,vt Arij hęresis,(qua Gothorũ natio,quæ tũ in Hispania

rerum per vim potiebatur, misere inquinata erat,) funditus euerteretur, & ex Hispania profligaretur. Quæ ibi sapienter & piè oĩa decreta essent, nó prius rata, fixaq́; censebãtur, q̃ essent, quo referri mittique solent vt Catholica, à Romana Sede & Apostolica cõfirmata: vt Canonũ auctoritate Gratianus, decretorũ Pontificiorũ compilator diligẽs, rectè *a* docuit. Agebatur & hic de promulgãdis fidei dogmatis, quæ Synodi Oecumenicæ statuissent, publicariq́; iussissent. Tertia verò Conciliorũ ratio, quo Episcopus diœceseos dumtaxat suæ sacerdotes, de Ecclesiæ templorumq́; cõmodis acturus cõuocat: vt in Toletano *b* Concilio, itemq; in Carthaginensi, *c* decretum fuisse idẽ Gratianus cõmemorat. Et hæ haberi solitæ altero post Prouincialem mense, quo suis exponeret Episcopus, quid actum, decretumque esset, & optimo iure sarta tecta seruari oportere. Seruatum & id in Toletano Cõcilio, vt idem *d* refert. Quotannis quoq; *e* indici ea synodus solet: idq́; ea potissimum gratia, vt corrupti mores, cùm sacerdotũ, tum eorũ qui Episcopis parerent, ad veterẽ disciplinã, quoad eius fieri possit, reuocarẽtur. Ex quo efficitur duplici quoq; hinc Cõciliorũ generi rectè illa aptari, *Cõgregate illi sanctos eius*. Diximus hactenus, quæ voci illi *Congregasti* necessaria in mentẽ venerãt, in qua iniungẽdi, conuocandiq́; vis inest: reliquũ est, vt de altera *Sancti*

a Dist. 17. & 18.

b Dist. 18. cap. Quando.

c 22. qu. 2. c. Placuit.

d Dist. 17. c. Decernimus.

e Ibidem c. an.is singulis.

significatione dicendũ quid sit)videatur. Ad notam illã omnib. notionẽ etiã reb. adhibetur Deo sacris, cultuique diuino destinatis. Quæ quidẽ ita Deo nuncupatę, ac sacrę sunt, vt in alios vsus cõmutari, ac veluti ꝓfanari nefas semꝑ sit habitũ. Hinc *200.* & illa *50.* thuribula seu acerras, quibus in sacris vti Core, Dathan, & Abiron, ceteriq; cõiurationis socij soliti erant, in laminas cõflari Deus, & altari affigi posterorũ memoriæ sempiternæ iussit: *Quoniam*, inquit, *sanctificata sunt in morte peccatorũ*. Si aurea, argentea, ænea vasa simul Deo cõsecrata profanari nefas erat, & pura puris locis, sarta ac tecta seruabantur, vt res diuino cultui destinatas maximè decebat: an dubitabimus quid de sacerdotibus viuis Christi & animatis tẽplis sentiendũ esse videatur? quos Deus tot tantisq; ritibus ac ceremonijs sacros offerri sibi ac cõsecrari pręcepit, remq; diuinã agere quotidie pro populo iussit: vt & partem suã, suamq; sortem appellet. vnde & clericorum illis nomen datum, κλῆρ☉ enim sors est. Nonne, per Deũ immortalem, & *sancti* nomen sortiãtur, moribus, vitæq; cõsuetudine tales esse, vt sint ꝙ audiũt, decet? vt sint sancti, immaculati, extraq; oẽm aduersariorũ reprehensionẽ positi? Poterat alioqui regius vates dicere. *Congregate illi sacerdotes eius*, vt dicit, *sãctos eius*, idque clariùs magisq; perspicuè dicturus erat, verũ appellatione ipsa quales oporteat esse

sacris

Blanditijsq́; fouet maioribus, osculaq́; vltro
Pendentes collo admittunt, sic pulcher Apollo,
Sic Bromius, nymphaq́; sacræ Libethridos vnda
Custodes, gaudent amplexibus, atq; frequenti
Augentur studio, facilesq́; & sponte sequuntur
Qua deducantur. consultum deniq; rebus
Humanis fuerit, tunc quum certabitur hocce
In stadio cui nam concedant numina palmam,

DE CONRADO GOCLEnio nobili Rhetore.

PRæterito sudor non vnquam cognitus æuo
Vastabat populos Belgica terra tuos.
Risurus medicos, sine nomine in intima grassans
Viscera, si sudor non mage pestis erat.
Pars Conradus erat turbæ morientis, & illi
Torrebant pectus dira venena sacrum,
Quicquid inest vitæ ruptis arteria venis
Dispulit, & sicco pectore membra fluunt.
Liquitur, ast animam dum iam moriturus agebat.
Concidit ante Iouem turba Cytheriadum.
Actum est omnipotens de musis, consulis ipse
Ni nostris studijs, gloria nostra perit.
Iuppiter hæc, viuat tua gloria turba canora.
I, medice Asclepi, vade petita Salus.
Ac mea Conrado ferte hæc mandata: superstes
Donaris musis, non tibi. viue, doce.

Cœptum iter auertit rabies me litore Ibero
Exposuit, quamuis Louania prendimus arua.
Atq; tenemus adhuc. nullo sed numine vecti:
Namq; aberas, & te felix Basileia fouebat.
Sorsne, deúsne mihi inuidit? non obtigit illa
Libertas vitæ male quam prodegimus olim
Rerum & inexperti, & pueri. fors nostra tulisset,
Persequerer quocunq; fugis, sed moliit astum
Hunc tuus hic, meritoq; mei Goclenius vna
Pars animi, debet multum cui Belgica tellus.
Da veniam fasso Gocleni dulcis amice,
Quamuis te miror, stupeoq;, coloq; nec vsquam
Vidi æquale, meum tantummodo præter Areion.
Non tamen iste tuus, Permesside purior, amnis.
Quit desiderium magni restinguere Erasmi.
Iuc te rumor erat venturum, en tertia demum
Bruma abiit. nullusq; venis. valeas modo, vt opto,
Sit Lusitano dabitur, si qualiacunq; hæc
Carmina contigerint, vel mox peritura, tuarum
Musarum augustum limen sic namq; perire
Me iuuat, & cupio, tentassemq; ante sed ipsa
Improba quorūdam improbitas, vacuumq; cerébrū,
Inra pelliculam mihi me cohibere súasit,
Atq; silere. pudet pudet à meminisse, catellus
Qui latrauit Iber, iterum iam, dente sine vllo.
Et pget insulsi articulos memorare libelli.
Quæ quia tunc acta fuerant, nugæq; recentes,
Sepoui calamum, veritus ne crimen Iberum
In Lusitanum caderet caput. inclyte Erasme.
Non tibi Lusiadæ infensi, te noster adorat

Diuum

ſacris operantes, tacite admonere videtur. Hic dicẽdi finẽ Patres, fratresq; in D\u0303NO cariſſimi facere, ſermonemq; obrũpere decebat. Cùm.n. vitijs obnoxius & ipſe tenear, criminumq; ſim reus, ad ſanctitatem collegas hortari qua fronte auſim? Verũ optabat Balaam populum Iſrael varijs & locis, & temporib. diris deuouere & exſecrari: at Deus os verbaq; mutauit in melius: tandem vero exclamauit: *Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti & auri, non potero præterire ſermonem Domini Dei mei.* Equidem verbis meis refellor & rubore afficior, verũtamen Dei verbum diſsimulare hoc loco, ſilentioque tegere nõ poſsũ nec ſinit ille Deꝰ cui milito. Tenemur, fratres, ex officio quotquot ſacris initiati ſumus ſanctimoniæ ac perfectioni vt & Epiſcopi, operã dare, nõ ſecus atq; ij quibus præſumus. In prõptu ratio eſt, & exẽpla ad manum. Dauid rex cum arcã Domini è domo Obedem transferre vellet, Sedoc, & Eleazaro ſic præcepit: *Vos, inquit, qui eſtis principes familiarum Leuitic. ſanctificamini cũ fratrib. veſtris, & adferte arcã domini Dei Iſrael ad locũ, q ei præperatꝰ eſt. Sãctificati ſint ergo ſacerdotes, & Leuitæ.* Et inf. de EZEC. *Adduxitq; ſacerdotes atq; Leuitas, & cõgregauit eos in plateã orientalẽ, dixitq; ad eos. Audite me Leuitæ, & ſanctificamini. Mũdate domũ Dñi Dei patrũ noſtrorũ; & auferte oẽm immũditiã de sãctuario.* Ergóne tãti ea res fuit? Vt arcam dñi portẽt ſacerdotes, sãctificari eos oportet

Num. 24.
1. Para. 15.
2. Par. 29.

Quid, quæso, in ea latet, quis hic thesaurus absconditur? Dicet pro me Paulus Gentiũ
Hebr. 9. doctor, ad Hebræos sic scribens: *Arcam testamẽti circumtectã ex omni parte auro; in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ testamenti:* Ita ne vero: Vt mannæ particulam, vt virgam ligneam, vt lapideas deniq; tabulas sacerdotes portent atq; Leuitæ, lustrari eos ac sanctificari oportet: & dubitamus adhuc an sanctificari hodie sacerdotes nostros oporteat? qui verum manna cœlo delapsum, panemq; angelorũ manib. quotidie tractant, ac cõsecrant verum Christi corpus & sanguinẽ. Qui manibus tenent virgam quæ prętẹr naturæ ordinẽ statim effloruit, extititq; ex vtero clauso Beatæ virginis egressa: de qua prædixerant vates. *Egre-*
Psal. 109. *dietur virga de radice Iesse: & Virgam virtutis suæ emittet dominus ex Sion:* Qui legem portant nõ lapideis insculptam tabulis, sed piorũ hominum cordib. inscriptam. Olim in vetere lege sacerdotes templum purgaturi, portas aperturi, lampadas accẽsuri lustrabãtur: Thuris item thymiamata, hostias, victimas, & holocausta oblaturi, hoc est, integrũ agnũ immolaturi sanctificabantur. nonné sanctificari iustius par est hodie sacerdotes, vt puri puras Christi aras contingant? vt cœli portas aperiant? vt fidei lumen accendant? denique vt verũ offerant agnũ, *qui tollit peccata mundi:* porrigantq; vt ministri & dispẽsatores my-
sterio-

Rteriorum Dei, verum corpus & sanguinem filij Dei Iesu Christi, fidelibus? Legem idem laturꝰ Deus Israelitico populo, Moysi sic pręcepit: *Vade ad populum, & sanctifica illum hodie, & cras, lauentq́, vestimenta sua, & sint parati in diē tertium.* Paruit Moyses, lauitque populus vestimenta sua. Moyses quoq;: *Estote* inquit, *parati in diem tertium & ne appropinquetis vxoribus vestris:* Si legem plebs acceptura lauare vestes & à legitimis vxoribus abstinere iubetur; quid sacerdotes facere conuenit? Quæ non vestimenta lauabunt? à quibus nō temperabunt? non ad legem accipiendam dumtaxat, sed vt eam promulgent populoq; exponāt. *Labia enim sacerdotum,* ait Malachias, *custodiūt scientiam, & legem requirent de ore eius, quia angelus Domini exercituū est.* Animaduertite quęso: Angelusne, inquies, Domini est Sacerdos? Ita est, vt dicis, ex Dei ipsius oraculo, qui & alibi canit: *Nolite tangere Christos meos,* id est, vnctos: quod sibi cum sacerdotibus nomen voluit esse commune. Quid si angelum cœlo delapsū hisce oculis cerneres, quæso te, nonne Abrahami exemplo, honore summo afficeres? Cur non eundē sacerdoti habes honorem? Angelus .n. est Domini exercituū. Cur audes Christos Dei tangere? Verū causā despectus sacerdotū inuestigemus, ex eo ipso Malachia: *Et nūc ad vos mandatum hoc, & sacerdotes. &c. Pactum meum fuit cum eo, scilicet Leui, vita & pacis. Et dedi ei timorem, & timuit me, &*

à sa-

à facie nominis mei pauebat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas nō est inuēta in labijs eius. In pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate, Vos autem recessistis de via, & scādalizastis plurimos in lege, et irritū fecistis pactū Leui dicit Dominus exercituū. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut nō seruastis vias meas: Audiuimus à vobis profectū malū, causáq; dedisse cur populus nos cōtēnat: vt hodie *sācti* nomē, & *patris* opprobrij loco obijciāt. Si vero expostulare ipsi & cōqueri velimus, de iniuria, audacter illi & verè vno ore respondeāt: Nostri quidē officij sit omni Sacerdotes honore prosequi, sed *vos recessistis à via, & scādalizastis plurimos in lege & irritū fecistis pactū Leui.* Vestrū erat semina in nobis iacere pietatis, & diuini amoris radices inserere: At contēnere iram Dei vitijs vestris docetis. *Nomen Dei blasphematur per vos*

Rom. 2. Mediatores vos esse oportebat, qui Dei irā auerterēt, & in gratiā ponerēt, at *nō ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murū pro domo Dei Is-*

Ezech. 13. *rael, vt staretis in prælio in die Domini.* Nomē nacti cū sitis Angelorū, sunt in corpore vestro qui potius (sed mihi tēpero, nomenq; taceo) appellādi videātur. Deniq; vt paucis multa cōplectar, *recessistis de via & scādalizatis plurimos in lege, & irritū fecistis pactū Leui.* Finem dicēdi faciā, vbi prophetæ verba ad te, Præsul amplissime orationemq; cōuertero. *Cōgrega illi sāctos eius:* sic fiet vt nō nomine tenus sancti,

sed

ſed,quod rei caput eſt,vita & morib.euadãt. Id.n. muneris eſſe tui Paulus, electionis vas docet: *Attendite*, inquit, *vobis,& vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiã Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Huc & *Epiſcopi* nomen te inuitat,hoc eſt ſpeculantis, obſeruantis, è ſumma ſpecula contemplantis,ne lupi rapaces gregẽ inuadãt. Deus prohibeat ne ſpeculator aut dormiat,aut cœcus ſit.Si belli tẽporibus,hoſtiumq; in finibus id adciderit,cito hoſtis vrbe potietur. Idem ſane verendum ne ciuitati Dei Eccleſię vſuueniat,quæ inter aërias poteſtates ſita, inſidijs vndique ac dolis petitur dæmonum & hęreticorum. Hi enim inuicem ſic adhortantur: *Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, vniuerſæ beſtiæ ſaltus. Speculatores enim cœci omnes, neſcierunt vniuerſi. Canes muti,nõ valentes latrare.* Cetera quæ ſubijcit propheta, dicere verecũdia prohibet. Hoc onus ſi humeris aſſumpſiſti, conſtanter feras oportet.Equidem nõ dubito eſſe plerosq;, qui Epiſcopũ optarẽt ſimilẽ ſtatuæ,& idoli;ornatũ,& altari impoſitũ,*circũ ornatũ, vt ſimilitudo tẽpli.* Veſtiũ illa ornamẽta ſacra,tiara,pedũ paſtoris inſignia ſunt,ſed vigilantis admonẽtq; tacite officij. At optarent illi ſimulacrum quoddã Gẽtium, quod *oculos habeat & non videat, aures habeat,& nõ audiat*, quodq; magis exoptẽt ignaui homines, *non clamet in gutture ſuo.* Qualem ſi experiãtur Epiſcopum, læti iactabunt illud prophetæ.

Act. 20.

Eſaia 56.

Pſal. 143.

Pſalm. 113. & 143.

Diues effectus sum: inueni idolum mihi. Audiamus
Osea 12. igitur Dei vocẽ per alterius os Prophetæ. *O pastor, & idolũ derelinquens gregẽ. Gladius super*
Zach. 11. *brachiũ eius, & super oculũ dextrũ eius. Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.* O vocem terroris plenã, & minarũ: q̃ merito timeant, & cum horrore audiant Præsules, memoriaq; repetant. Alij cõtra Episcopũ furiosum, militarẽ, & tantũ non sanguinariũ exoptent, sed alijs, non suæ familię. At D. Paul. vt Gentiũ sic & Episcoporũ magnus doctor, Timotheũ adhortans
1. Tim. 3. ad ceteras virtutes requirit Episcopũ, *nõ percussorem, sed modestũ, non litigiosum, non cupidum.*
ad Tit. 1. Titum vero sic informat, quærere se in Ecclesia Dei Episcopũ, *non superbũ, non iracundũ, non percussorẽ:* vt sanare potiùs studiũ illi sit, q̃ vulnus infligere: vt auertere mala q̃ inferre malit, vt aliorũ cõsulere potius existimationi q̃ lędere famã velit. Deniq; qui vitę exemplo vrgeat alios, imbecilliorib. animos addat, ignominia notet qui ceteris offendiculo sint, castiget eos qui salutaria consilia repudient. Quod bene, feliciterq; eueniat frequẽter Synodos indicat sacerdotũ, vt malis pręsens remediũ adferatur, mores corrigãtur, & vasa Domini puriter ac sãcte ab ijs tractẽtur *Congregate illi sanctos eius, qui ordinãt testamẽtum eius super sacrificia:* nã sanctus ille est, & sancti sacerdotes si fuerint, socij erũt ęternę beatitudinis in sæcula sæculorum. AMEN.

FINIS.

NARRATIO RERVM GESTARVM IN INDIA A LVSITANIS, ANNO M. D. XXX. IVXTA EXEMPLVM EPISTOLAE, quam Nonius Cugna, Dux Indiæ max. designatus, ad Regem misit, ex vrbe Cananorio IIII. Idus Octobris, anni eiusdem.

L. ANDREAS RESENDIVS Lusitanus Conrado Goclenio viro præstantiss. S.

PETIS Conrade Gocleni, vt exemplum epistolæ missæ ad Regem Lusitaniæ de ijs, quæ nunc recens ad rubrum mare gesta sunt, latinum faciã. Petis tu quidem, sed is petis, qui mihi & iubere, & imperare potes. Equidem latinum faciam, grauate tamen, facturus minime, nisi tu, cui multum debeo, iuberes. Nam vt sileam de humilioribus Lusitanorum victorijs in India hanc fuisse vnam, nec præ cęte-

ris dignam quæ omnium prima vulgo ederetur, duabus alijs rationib. merito ab hoc faciendo abſtinerem. Primo, quod noſtræ gentis ingenium adeò præpoſtere verecũdum ſit in commendandis rebus à ſe bene geſtis, vt pudeat referre, aut ſi referant, bona pars inde decidatur ab hominibus conſcientia benefactorum domi ſuæ contentis, ne etiã ea foris prædicent. Deinde, quod epiſtola hæc non tam fuit narratio rerum geſtarum, quã epitome. Multo illi melius, qui ſi quid proſperè egerunt, verbis commendare, & adaugere curant, & ſcriptis editis orbẽ conſcium, poſteritatemq́; facere rerum ſuarum. Quod nõ laudare, non poſſum. Conſulitur enim hiſtoriæ, niſi modeſtiã excederet, & ſupra ꝙ res habeat nimia adfectatione creſceret cõmendatio. Noſti, tametſi diſsimulo, quos nam intellegã. Cogor autẽ in hac epitome hiſtoricum potius agere, quã alienæ interpretẽ epiſtolæ, vt interim topographię ratio haberetur. Magna eĩ voluptatis pars adceſſerit, ſi, quo res geſta ſit, ob oculos quaſi ponatur. Nam qui epiſtolam miſit, hiſtoriam non cõdebat, atque ob id. de hoc minimum ſollicitus fuit, quum ſcriberet ad regem locorum peritũ, quod tametſi nõ eſſet, habet tamen qui terræ ſitum non ex libris modo, verum etiam experiẽtia quotidiana didicerunt. Regum

noſti

nosti delicias, & aulicorum ambitionem. Circunstant, digito ostendunt, tum demũ beati, quum interrogantur, & respondent. Scribam igitur bona fide, quod exemplo ipsius epistolæ Nonij Cugnæ ducis Indici compertum habeo.

NARRATIO.

Quum à Lusitanorum rege Ioanne, eius nominis tertio, Nonius Cugna nobili & antiqua familia prognatus, Indiæ dux maximus designat⁹ esset, classe electissimo milite stipata, ab Vlissipone soluit abhinc fere trienniũ. Vbi Cananoriũ regiã Arianorum vrbem, ad Agaricum sinum peruenit, quãuis iussu regis constituerat expugnare Diũ, quum potentissimã, tum superbiss. vrbem regni Cambaię, quo nomine nũc Carmania vlterior, & pars Arianæ adpellatur, tamen Indorũ nonnullis rebellantibus, & infestantibus vtrumque maris rubri sinum Turcis, & Rhomæis, optimum ratus est, si eos motus prius pacaret. Rhomæi vero vocantur partim Turcæ, partim Veneti, & Christiani transfugæ, colluuies sceleratorum hominum. Vnde adparet Rhomæorũ nomen græca consuetudine penes istos, quoniam Romani sint sanguinis, mansisse. Audiuimus elapso anno famam victoriæ Nonij, bello nauali, contra Turcas & Rho-

mæos, quam ego quidem libentius exponerem tanquam speciosiorem. Nam vt de illa nihil aliud dicerem, quàm quòd est verissimum. Superiore æstate terrifico & insolito cymbalorum sacrorum strepitu commotá fuisse Antverpiam, quum tamen eius nihil interesset aliud, quam amicæ gentis gratulari victorijs, ex huiusce rei nouitate, illius coniectari licet magnitudinem. Ea res permagna sit oportet, quæ exterorum calculis & iudicio comprobatur. Verum quoniam nec tu illam antiquatam fere petis, nec nos, præterquam summatim, compertam habemus, ad recentiora gesta festinabit calamus. Eo ipso anno Nonius Cugna dux max. designatus, Antonium Siluæriã, Diodocum Siluæriam, Hectorem Siluæriam, quorum hæc victoria tota est, in diuersa Indiæ loca misit. Antonium, vt eam Arianę oram, quę a Cananorio protenditur per sinum Agaricum, Chaulium vrbem, quaq; Indus exoneratur, sinum Canticolpum, quem nostri Cambaiæ vocant, præternauigaret, atque incenderet vrbeis & oppida litoralia, modo alterum eius sinus promõtorium, qua Dium sita est, non attingeret. Is consčẽsa classe quinquaginta nauigiorũ, quorum quadriremes erant duæ, actuariæ naues totidem, cæteræ liburnicæ, & phaseli quidam non maiores multo fluuiaticis lembis,

lembis, Indi catures vocant, profectus est, Secum non plureis nongentis viris Lusitanis habebat. Quoniam vero huius oræ celebriora oppida magnitudine, populo, diuitijsque sunt Surrate & Reinelium, vtrinque sita in altero illius Cambaiæ sinus promontorio, super flumen nó magnum, nec certum habeo sitne aliquod ex Indi fluminis ostijs, hæc primum adortus est. Cauens tamen vadosum flumen, habilioribus tantum nauigijs intrauit. Iam ipsemet præiuerat celeri catascopio, & iacta bolide aquę profunditatem pertentauerat. Vt peruentum est Surrate, quod vi. mil. p. distat ab ostio introrsus per flumen, aut potius æstuaria angusta, quorum magna pars maris refluxu, siccatur, vrbem oppugnare cœperunt. Quæ quoniam à Baneanibus, quod hominum genus Pythagoricam, de nó obcidendis animalibus, disciplinam pertinaciter adeo seruat, vt ne pediculum quidem obcidere sibi licere putet, & mercatoribus habitabatur, magis quam cætera, non diu durauit oppugnatio, cedentibus & fugientibus incolis relicta vrbe. Nostri quum inibi mansissent, postridię eius diei incenderunt vrbem, arsitque ad solum vsque. Interim maris adcesione parant milites inuadere Reinelium fere ę regione in alio litore situm, flexus tamen fluuij facit vt distet

duo mil. p. à Surrati. Erat vero ea vrbs, vt fertur, totius regionis nobilissima. Nulli heic Pythagorici Baneanes habitabant, aut imbelles viri, verũ Machometani Naiteæ, omnium Cambaiæ populorum bellicosissimi. Siquando terræ eius rex classem paratet, numerosiorem electioremq; militum manum, ex hac vrbe colligebat. Viderãt ij Surratis oppugnationẽ, & incẽdium, atque interea se ad vrbis suę tutelam sedulo comparauerãt. Primum omnia capita viarum, compita, & tribus fortissimis caudicibus, & tabulatis munierant, exteriora vallo, & tormentis æneis, tum ad arcendam portu nostrorum classem, tormentorum numerum ingentem ordine conlocauerant. Adhæc equites, supra quadringentos, præter peditatum, sub ipsa vrbe iactu fere arcus chalybei, tanquam prælium, vt videbatur, commissuri, in ordine quisque suo præstolabantur. Iam nostri adpropinquabant vrbi, quum tormentis æneis excepti sunt, adeo crebis, vt miraculo reputetur intacta ab his nauigia fuisse. Profuit non parum esse omnia biremes, & liburnicas, quas ferrei globi à bombardis emissi transcendebant. Prohibiti ergo ea parte litus prendere, quum equitatum qui sub vrbe in planicie erat receptum, in vrbem vidissent, illuc impingentes egressi sunt, fru-

ſtra iam barbaris prohibentibus. Cœpere itaque vallum & caudices oppugnare, nam hæc tantum pro muris erant, ſed tormẽtorum vi, & vndique cócurrente barbaro arcebantur ſtrenue, donec creſcente noſtris indignatione, globo impetuoſius adunato, in vrbẽ irruptũ eſt. Cęſi eo cógreſſu ex barbaris quadraginta. Cęteri terrore hoſtis intra mœnia recepti, præſidio fugæ ſeruati ſunt. Atq; graſſantibus per vrbem pauci reſtiterũt, pauci quoq; inuẽti, qui gladio obcũbere digni eſſent. Manſerunt ibi milites eo die, dũ deprædarentur vrbem. Nec mercibus quæ oneri claſsi eſſent, manus adiecerunt, licet paſsim inuenirent domos plenas cupro, ebore, & ſimilibus, quorum ingentem copiam, ſi capaciora fuiſſent nauigia, ſecum vexiſſent. Inuenta tormenta plurima ænea, præter ea, quę ante commemorauimus, atq; adeo vbique maxima copia vaſorum fictilium, quæ porcelania vocant, aliarumque mercium Chinenſium. Nam his pręcipuè cum regno Chinæ commercium erat. Domus pleræque adfabre ædificatæ & expolitæ opere pulcherrimo, lecti quoque aurati, indicia nobilitatis ciuiũ. Adhæc inuenta multitudo falconum auratis capitijs, ad auiũ vænationem, cui rei terra eſt aptiſsima. Eſt enim plana adeo, vt Scallabitani agri, quos adluit Tagus in Luſitania,

 nec

nec gleba minus fertilis. Gignit præcipuè triticum & oryzam. Igitur oneratis nauigijs ex æneis tormentis, selectissimis quibusque reseruatis, cæteris in fluuium, vbi profundior erat vorago, submersis, quum milites adhuc à præda minime quiescerẽt, veritus dux Antoni⁹ Siluæria ne natare nõ possent in æstuario vadoso vrbem incendi iussit, nec discessit, donec in cineres redacta est. Combustæ sunt etiã multæ naues onerariæ, & gauli, quę nauigia Indi zambuccos vocant, præter eas naueis, quæ in Surratis euersione combustę fuerant, quarum nonnullæ refertæ erant mercibus, aliæ vacuæ. Incussit ea res terrorem regioni maximũ. His ita gestis, nostri æstuarium ad naueis egressi sunt, atq; inde præterlegentes oram Chaulium versus, venêre Damonium oppidum ingens super æstuarium & fluuium non magnum, nobili & fortissimo castro. Murus latus erat pedes octo, quadratus, singulæ turres, in angulis singulis, intus cisterna aqua plena. Ibi etiam maioribus nauigijs extra relictis, cum biremib. & liburnicis ingrediuntur. Obcurrit autem nemo. Siquidem incolæ vt nostros instare resciuerunt, ex ijs qui Surrati & Reinelio fugerant, deserto & ipsi oppido, fuga vitæ consuluere. Quare otiosius ibi res acta fuit. Primum arietibus concussæ valuæ castri,
fortes

fortes quidem & ferratæ, vt autem nemi-nem inesse intus senserunt, versa manus est ad dirutionem, exustionemque, donec omnia solo æquarentur. Nonnullis etiá nauibus & gaulis admotus est ignis, ingenti præterea copiæ cæsæ materiæ, quæ in portu inuēta est. Par fortuna fuit oppidi alterius, & pagorum complurium in eodem æstuario. Nauis item magnitudinis pulchritudinisque eximiæ cui in ora ædificatæ iam iam summa imponebatur manus, exusta est. Egresi inde inuadunt in eadem ora vrbem Gasnyiam sitam in ostio fluminis alterius & æstuarij, Ea cingebatur vndique cœnosis æstuarijs, & sudibus denso aggere, nisi ea parte qua fluuio imminebat, parte itē alia, qua exitus angustus patebat in continentem. Heic stabant in armis equites CCCC. sub ipsam vrbem, peditum vero quinque milia, suis stationibus ad tutanda mœnia distributi erant. Dux nō commisit vt classis malè tuto flumine ad vrbem adcederet, sed sexto ab vrbe stadio litus prendit, atq; ibi partitus milites, CL. in cuneo cōlocauit, ipse cum reliquis in acie effigiem cornuum referebat potius, quā vere præstabat. Mixtus cuneus est equitatui, & aliquamdiu varie pugnatum, tandem cesserunt barbari. Ceciderunt eo primo congressu ex equitibus XV. ex nostris autem quinque. Nostri

dum fugienteis insequuntur, eodē impetu in vrbem irruerūt. Quem impetum quum non ferret peditatus, terga etiam dāt, & per eam portam, per quam in continētem exitur, fuga seruati sunt. Obcisi & capti sūt viri CC. Vrbs tota incensa & euersa. Naues similiter cōplures, & gauli, partim cæsa materia, partim annona alijsque rebus onerati. Hæc præter, multa alia oppida & pagos incenderunt eodem litore, est enim regio frequens, sed quoniam minus hæc sunt insignia, nec nos quoque referemus. Summa nauium combustarū, & gaulorum, CCC. quarum complures oneratæ mercibus, nōnullæ annona, hæ Dium, illæ ad Arabicum sinum nauigaturę erant. In partem Lusitaniæ regis præter alia, cesserunt captiui numero CLX. viri remigio strenui. His peractis nostri adnauigarūt in insulam Bazaim in eodē tractu, vt illic dulciores aquas classi prouiderent, exigerentque tributa Bandaratij, Tanæ, & Carangiæ, vrbium, quas Hector Siluæria tributarias fecerat. Atque hic quidem Antonij Siluæriæ per eam orā excursus.

Nunc ad Diodocum properandum, cui data erat prouincia arcendi hostis ab ea ora quæ à Cananorio ad extremum vsq; Narsingæ promontorium excurrit. Tractum siquidem illum Arianorum, qui in oceanū

longo

longo se ductu insinuat, Narsingam nostra ætas adpellat. Crescit enim in eo promontorio piperis magna copia ad oppidũ Cailen, & cognominem fluuium, atq; inde inuehitur à Rhomæis & Turcis Mechã, & Alexandreiam, & Venetias. Quin & reportãdarum mercium aliarum gratia, indigenæ ipsi exportãt. Omnium vero maxime, quidam semiregulus mercatorum Indiæ potentissimus, Chetinus illic vocatur. Is in Mangalorio oppido, nõ procul à Cananorio vrbe regia, castrum habebat super mare, ædificijs, viris, armis, tormentisque munitum. Infestus nostris, Turcis amicus, ad quos naueis suas aromatis oneratas mittebat quotannis. Quod vt ne fieret, cauere volens Nonius Cugna, Diodocum classe mediocri obseruare iussit oram Cailes, vt quum Rhomæorum classis egrederetur, illi obcurreret. Quæ quoniam aliquanto plusculum morabatur egredi, receptis à Nonio literis, Diodocus Mangalorium contendit. Quo perueniẽs ad vij. Calendarum Aprilium, quia portu arcebatur multitudine sagittariorum, & funditorũ castrum tuentium bene ordinata statione, & bombardarum fragore terribili duobus fere passuum milibus ab oppido, iactis ancoris egressus est cum viris CCXL.
quo-

quorum CX X. æneis machinulis, vulgus ſclopetas adpellat, vtebantur. Oppidani, caſtro, vt arbitrabantur, viris & tormentis probe munito, ipſum oppidum caudicibus contextiſque trabibus, & tormentis tutabantur. Nec eo contēti, egreſsi ſtatione, excipiunt venienteis. Incruduit prælium aliquantiſper in campo, ſed vrgentibus noſtris, illi nonnullis cæſis, pluribus vulneratis, ad ſtationem ſe recepere. Vnde tormētorum magiſter quum ignem adhibere, & iaculari meditaretur, Luſitano quopiā ſerpentinulam æneam exarmante, ictus interijt. Commodum ergo præbita obcaſione noſtri irrumpunt in oppidum, prædantur, euertuntque ſingula, atque adeo ſubceſſu felici adrecti animis ad caſtrum oppugnādum adcinguntur. Illud quidem forti muro cinctum erat, tum per murorum minas lapideæ quædā manſiunculæ exterius prominentes, vnde ſagittis, veruttis, ſerpentinis, ſaxis, pleniſque ollis nitri tormentarij adhibito igne, noſtros arcebant ſtrenue. Nec noſtri ſegnius, pars machinulis æneis impetere, pars molarcis fuſtibalis contorquere, alij ſcalis contendere in murum, infringere alij portas arietibus, donec barbari deſperatis rebus, in flumen ſe ſaltu deijcientes, nando pars euaſerunt, pars intus cæſa eſt, perfractis iam foribus, alij præobcu-

pati

pati à liburnis, & phaselis iam adpropinquantibus in ipsis vndis obcisi sunt, inter quos ipse Chetinus castri dominus. Capta sunt in castro, & in statione illa oppidana LX. ænea tormenta. Castrum refertum erat cupro, corallio, hydrargyro, pānis coccineis, & sericis heteromallis, quos vulgus villutos adpellat, quæ a Mecha inuehebantur. Erant & aliæ merces quam plurimæ, copia nitri tormentarij, adhæc annonæ, cæterorumque victui necessariorum. Ex quibus oneratis nauigijs, quum capacitas non vltra permitteret, & adhuc à præda non tēperarent milites, Diodocus receptis ad nauigia tormentis, iussit oppidum & castrum incendi. Ea vero pars muri quæ super mare erat lapide quadrato quum igni resisteret, tormētis diruta est. Combustæ sunt in portu onerariæ naues XIII. Ex Lusitanis vulnerati sunt nonnulli, desideratus nemo. Hoc quidem factum maximam in India Lusitanorum rebus commoditatem attulit. Nam semiregulus iste indies fiebat superbior, & notior diuitijs, & potentia, & quotannis Mangalorij Rhomæis onera dabat, aut ipse naueis suas pipere onerabat in Mecham. Iam Malabares Indi, in illum sacram figebant ancoram. Quo sublato, fracti animis à nouis motibus temperant.

Posthæc

Posthæc Diodocus Cananorium redijt, atque nauigia exonerabat, quum egreditur classis Callicutij oryzam inuectura. Erant autem LX. naues, quas Indi paroos vocant, nobis parones sint latino nomine. Obcurrit illis Diodocus biremi vna, liburnicis sex, non enim exonerata erant nauigia cætera. Quoniam vero reflabat Diodoco vẽtus obciduus, quo insequi cogebatur eos, quibus notus flabat prosperior, quãtum licuit tonsarum remigio adcessit, tormentisq́ue submersit parones sex, alij nonnulli bombardarum ictibus semifracti & hiantes, plures intacti euaserũt. Vna ex liburnicis quæ biremẽ remigio anteuerterat submersa est. Nam quum Malabares Callicutij harpagonem in eã iam inijcerent, & vellet retrouerti, oppressa à maiorib. nauigijs, receptoq́; intra se mari, obruta fuit. Perierunt in vndis VI. aut VII. viri, qui à socijs seruari nequierant. Ioannes quoque Siluæria, frater Diodoci, saxo tormentario à paronib. eiaculato vulneratus est, at curatus. Sic euasit classis Callicutia aura nostris reflante. Diodocus vero Cochinum ad ibi hyemandum petijt.

Hector Siluæria XII. Cal. Ianuarij, Goa, nobili vltra Chauliũ vrbe, profectus Syagrũ extimũ promontoriũ Eudæmonis Arabiæ, cum quatuor longis nauibus, duab.

celo-

celocibus, quas Lusitani carauelas vocant, liburnicis quatuor, atque in his viris DC. Eoq; prӕterito, Zocotorã insulã in Azanio mari attigit, caussa aquӕ dulcis recipiendӕ. Cӕterũ, quando nos etiã situs mouet locorum, distat ea insula à Syagro promõtorio CCLXXX. mil. p. Plinio auctore, veterib. Dioscuriada nominata. Inde classem diuisit in parteis ante ipsum sinum, ne Turcarũ clasis egredi ingredive, nisi visa à nostris posset. Heic quum sic clasis sparsa prӕternauigaret, fortisima quӕdam Chetini nauis, quam superstes adhuc è Mangalorio Mecham miserat pipere, gariophylo, cynnamomo, zinzibere, nuce myristica, & macere oneratam, Hectori obuiam fit. Hęserunt misis vtrinque harpagonibus, atq; pulchrè ab alijs defensa diu, impetita ab alijs. Sed pręualentibus nostris capta est, obcisis quotquot in ea erant. Quo factum est, vt toto eo anno nihil quicquam piperis per Arabici sinus angustias inuectum sit. Habuit prӕter hanc, non paucas prӕdas alias, sed minutiores quam vt referre libeat. Nõ pigeat tamen & hoc memorare. Nauem quãdam Dio profectam, refertamq; viris albis, alijsque Pellaconensibus, quum conspicatus esset Martinus Caster, nauarchus lõgę nauis, cui nomẽ Diuus Hieronymus, adhӕsit

ădhæſit iacto harpagone,atque ipſe primus omnium ingreſſus eſt, alijs ſequentibus. Prælium diu anceps, & nauis ſtrenue adeo defenſa, vt ipſe Martinus Caſter & X aut XII Luſitani alij à Turcis obciſi ſint. Nauis tamen ſat plena diuitijs, capta eſt, & viri ad vnum obciſi. Nec caruerunt ſuis prædis alia nauigia ſparſa, ſed nos celebriora recenſemus. At vero quoniam Dienſis & Cambaienſis claſſes, adcepto noſtrarum nauium nuncio,egredi non audebant, Hectoris Siluæriæ claſsis in inſula Mete ſiue Barbara, vt Ptolemæus vocat, ſinus Trogloditici,congregata eſt,vbi in fine prædarum dulces aquæ Nonij Cugnæ præcepto prouidendæ erant. Ab eo etiam inſtitutum fuerat,vt Hector inde nauigaret Adenam è regione ſitam in Eudæmone Arabia, & ſi quas naueis, gauloſve inueniret maioris æſtimationis momenti ve caperet,tentaret prætera velletne rex parere,& tributum ſoluere regi Luſitanorum, obcaſionemq́; quamcunque tempus offerret, raperet. Eſt autem Adena, ſiue vt à noſtris hominibus dicitur, Aden, vrbs regia felicis Arabiæ, non procul à Poſidio promontorio, paulo exterius,quam vbi Ptolemæus Saninam vrbem ponit,non tam magnitudine,quam natura & operibus munitiſsima. Magnitudo quidem, citra larium eſt ſex milium, vt

adce-

adcepi, verũ tribus partibus altisſimis clauditur iugis, & perpetuis, ſolumque auibus peruijs. Ipſa inter iuga montis, vt coniectamus, Cabubathræ, quoad conuallis qua ſita eſt permittit, extenditur, atque ob malignius ſpatium, quod in latitudine creſcere negatur, ædium celſitudine, & viarum anguſtia compenſat Nam ædes Vliſiponenſi modo illic exſtruuntur. Iam ad mare, qua parte ſolum oppugnabilis eſt, muro, & caſtris ad miraculum fortibus ambitur. Cęterum quia in continentem nullibi patebat exitus, mons à ſummo iugo ad radicem vi diſciſſus eſt in gurgitis anguſti modũ, turribus, & ferratis portis emuniti. Habet intus ciſternas complureis, ingentem vnam extra muros ad latus, quam domum aquę vocant. Aqua camelis importatur quotidie. Eſtque dies, quo camelorũ duo milia, mille & DC. mille & quingentos numerare quis poſsit. Hi ſi interdiu veniunt, intus in vrbe exonerantur. Sin nocte, in illa exteriore ciſterna, quoniam clauſis murorum portis quemquam ingredi non licet, aut egredi. In ſumma, talis vrbs eſt, vt toti mari rubro, ſiue Arabico ſinui, poſsit facile dominari, ipſaq; negante nulla claſsis eius maris anguſtias penetret. Quare noſtri iam olim hanc fruſtra pertentarunt, expugnauerunt

ſemel duce Alphonſo Alboquerco, ſed excedere coacti ſunt, vrbis viribus ſe integrãtib. Sed ad narrationẽ reuertamur. Hector Siluæria à Mete inſula prædas miſit Maſcaten oppidum ſitum in promõtorio Corodamo, altero ſinus perſici. Nã huc ſe venturũ ex Adena ſocijs declarauerat. Profectus igitur à Mete peruenit Adenam nonis Aprilibus. Vbi iactis ancoris, regij nuncij aduenerunt aduentui ęius gratulatum, adferentes ad naueis boues & arietes multos, frugumq́; copiam, regio munere. Atq; per duos ciuiũ nobiliſsimos, rex Hectoris Silueriȩ animũ requiſiuit, quidnã vellet, quidve facere proponeret. Hector, miſſo etiam munere quo regem intellexit gauiſurum, reſpondit, ſe miſſum à Nonio Cugna duce Indiȩ maximo deſignato, in ipſius regis auxilium contra Rhomæos & Turcas, quoniã reſciſſet ipſum ab illis oppugnari. Siquidem Rhomæi X. triremibus actuarijs nauibus & gaulis XL. improuiſo Adenam obſederant mari, terra vero equitatu & peditatu maximo, copijs videlicet auxiliarib. Nã ipſi Rhomæi DC. erant, plus minus. Durauit obſidio menſes quinque. Oppugnabatur quotidie mari prȩcipue, atque adeo terra, exſtructo in modũ muri tabulato cõtextis trabib. ad exteriorẽ ciſternam, & tor-

mentis conlocatis, quorum quatuor erant basilisci, tormentorũ omniũ genus impetuosissimũ, quibus murum totum ea parte diruerant, propeq́ue expugnauerant vrbẽ, nisi defensa pertinacissime fuisset. at vt rescitum est classem nostram aduẽtare, Rhomæi obsidione leuata discesserũt, desideratis ex ipsis CC. præter eos qui ex auxilijs mortui sunt. Ciuium fere turba pauperior fame & siti perijt. Addebat etiam Hector, se maiorem classem duxisse, verum quia in insula Zocotora leuatam audijsset obsidionem, partem classis alio cum prędis misisse. Nũc si ipse rex vellet parere & soluere honestum aliquod tributum Lusitanorũ regi, vt & alij reges Indiæ, pro certo haberet se semper à Lusitanis cõtra Rhomęos, et Turcas, aut quamcumq; aliam nationem, tutãdum. Ad hæc rex, Dicite, inquit, Hectori, me dignum memet arbitrari cui gratia habeatur, quod bellũ sustineam contra Rhomæos nõ tam mihi, quam ipsis Lusitanis infestos. Rhomęos hoc agere, vt aut amicitia, aut vi Adena potiantur, vnde tuto in Indiã nauigare posśint, tutariq́ue contra Lusitanos mare rubrum. Quare satis superque erat me cum Rhomæis, & Turcis amicitiam nolle, interdicere illis vrbe & regno meo, at Lusitanorũ cupere amicitiã & societatẽ,

ne etiã parere & soluere tributum exigat. Cui contra respondit Hector, illud esse verissimum, Rhomæos conari illac irrumpere in Indiam contra nostram voluntatem, idque adeo Venetos & Turcas eniti maxime. Verum si à Lusitanis iam omnino profligati & destructi non erant, in caussa esse, nusquam certo loco eosdem inueniri. Quod si Adena in Lusitanorum esset arbitrio, haud dubium, quin aut profligarentur, aut penitus Indicam contentionem relinquerent, quum nullibi certius quam ad angustias eius maris intercipi possent. Ideoque ipse videret, & sibi consuleret, quodque optimum factu iudicaret, maturius eligeret. Hæc & similia respondente Hectore, additis blandè minis, & iterum iterumque nuncijs hinc inde commeantibus, adquieuit rex, vt pareret Lusitanorum regi, solueretque quotannis, iure tributi Seraphinorum decem milia pōderis & valoris Ormuzij, quæ regia vrbs est, cognominis insulæ inter sinus Persici angustias. Ea summa latina supputatione quingenta facit sestertia. Gratis etiam dedit statim Seraphinos mille quingentos, id est, sestertia LXXV. vt Ormuzij ex puriori auro fieret corona, quam regi Lusitaniæ mittit

in

in symbolum amicitiæ & obedientiæ. Scriptę super ea re sunt tabulæ, subscribentibus rege & Hectore Siluæria, quuius exemplum Nonius Cugna ad regem Lusitaniæ misit. Id ad nos perlatum non est. His ita se habentibus, rex Xaerij scripsit ad Hectorem, ne grauaretur regnum ipsius adcedere, quod est in exteriore flexu Arabici sinus in regione Homeritarum, iuxta Ptolemæi traditionem, se pariturum Lusitanorum regi, & pensurum tributum vt constitueret. daturum praterea quidquid tormentorum æneorum Xaerij & Dopharij haberet Profectus igitur Hector, petente rege, ibi liburnicam vnam reliquit cum triginta viris Lusitanis Quæ finita hyeme Cananorium adplicuit cum literis regis ad Nonium Cugnam, quibus nunciabat Rhomæos post Adenensem obsidionem partim reuersos Iudam, quæ est circa Mecham in intimo Elanitis, siue Arabici sinus recessu. partim & plureis, quum reuerti Iudam non auderet, obciso proditorie duce à Turca designato, Zebiben adijsse, oppidum in continenti, sic eorum lingua, ab vuis paßis, quibus abundat, ficto nomine. atque ex his nonnullos obcisos in itinere ab incolis terræ illius. Nam eorum deprædationibus fatigati incolæ, summo eos odio

prosequebātur. Horum præcipuos Muscophaaū, Soscum, Reisolemanum, & Zopharem thesaurariū eius, adijsse Camarum insulā in interiori sinu, procul ab angustijs, & ibi adcepisse eos nūcium magni Turcæ exigentis omnia tormenta ænea, & trecēta ducatorum milia, id est, centies vicies sestertium, quæ ab ipso adceperāt ad bellum Lusitanis inferēdum. Quod nisi facerent, nusquam euasuros minabatur, quin vltimum luerent supplicium. Ipsos vero nuncio hoc interfecto XXX. milia, hoc est sestertia mille ducenta misisse Cairi gubernatori, quo intercedente reconciliarentur Turcæ. Cepisse quoque ad XXVI. nauigia mercatorum, quæ ab India Mecham nauigabant, quibus imposuerint magnū tormentorum numerum, quorum multi erāt basilisci. Verum ad egressum angustiarū rubri maris perijsse illis nauem, in qua maior bōbardarū pars vehebatur, & inde profectos versus Indiam. Atq; hæc quidē rex ad Noniū scribebat. Cæterū liburnica, illos circa Xaērij litus inuenit gyris & flexibus cōtendentes promontorium superare, resistente vento. Quin vt continui flabant subsolani, & vulturni, eo anno minime Dium adnare possent. Idem quoq; retulit Hector Siluæria qui oram Dijad finem vsque mensis septem-

ſeptembris prætérnauigauerat exſpectans illos. Proponebant hyemare Xaerij, quamuis dubij num facerent, rege noſtram amicitiá expetente. Quod ſi prohiberentur, lecta ora Aetiopiæ Mombazam contenderent. Quædam tamen nauis cum centum ex illis, Cambaiæ adpulit menſe Auguſto, nec in vrbe Dio recepti ſunt, vt retulit Iudęus quidam, quem Nonius ad explorandam Dium miſerat. Iubebat illos rex Cambaiæ ire Surrate. Quin alij fere CC. quos rex fecerat prętorianos milites defecerunt ad regem Maiulium. Sunt autem Maiules, gens Tartarorum, à Perſidis confinio, per Gedroſos, & Arachoſios efuſi, viri bellicoſi nimis, & qui regnum Sindæ expugnauerint, quod inter ipſos & Cambaiam omniũ regionis eius eſt maximum. Peruadunt iam Cambaiæ regnum paulatim. Atq; vno prælio, militum regis Cambaiæ XXX. millia confecerũt. Qui propterea triſtis & perterritus eſt, quũ præcipue Rezbutij Maiulibus iungantur. Id ſi fiat, non longo tempore regnum Cambaię expugnabunt. Cęterũ vt ad Luſitanos redeat oratio Hector Siluæria quum proficiſceretur à Mete, vt ante dictũ eſt, claſſem cũ prędis iuſſerat ire Maſcaten, relicta ibi liburnica vna cum naui quadam ex captis. Quod vt Rhomæi reſciuerunt,

uerunt, mittunt illuc triremem cum viris XXX Rhomæis, ſclopetarijs, & ſagittarijs, & Arabibus decem. Noſtrorum quindecim, qui in liburnica erant, conſpicati triremen procul, putãteſque eſſe ex noſtris quãpiam, egrediuntur ad illos. At cognito errore, ſe comparant ad prælium, iactis vtrinque vncis. Prælatum eſt tot horis, quoad vtriſque ſublato ſigno ad halitum recipiẽdum quieſcere placuit. Deinde inſtaurato prælio, triremis capta eſt, viri omnes obciſi, prẹter Luſitanum quendam cognomine Boccarrum, qui à Chriſtiana religione ad ipſos Turcas defecerat. Hic in vndas deſiliens clamore maximo ſeruari flagitabat, quia Chriſtianus eſſet. Ductus eſt Goam, luiturus capite ſupplicium publice. Ex noſtris deſiderati duo, cæteri omnes vulnerati euaſerunt. Congregata itaque claſſe apud Maſcatem, vt conuenerat, Hector Cananorium reuerſus eſt. Dedit in ærarium regis Luſitanorum ex prædis XXXII. milia nũmum aureorum, quos Indi pardaos vocant, ad latinam rationem, duodecies ſeſtertium. Vrbs Dium, vt ſcribit Nonius, in ſuá manet fortitudine & ſuperbia, ſecura Luſitanorum, quos non credit commiſſuros, vt ſe oppugnent. Atque adeo hæc confidentia Nonio placet, datque operam prudens

dens vt ſecurior ſit, quo incautam inuadat.

Habes Conrade Gocleni ſummam rei totius, ſi minus latine aut ordinate, tuum erit boni conſulere quando & exemplum ipſum epiſtolæ minus adhuc ordinem ſeruabat. Et in re mihi male comperta, ſeriem narrationis maiori ordine texere nõ potui. Cæterum orationem vbi hæc ſubiecero, cludam. Quum hæc iam, vt petiueras, ſcripta ad te deferre meditarer, commodum litteris Martini Ferrariæ mei, adoleſcentis bene eruditi, mireque candidi, quuius patruus in Belgica Luſitaniæ præeſt negotiationi, ſum factus certior, delatus ab Alexandreia litteras ad ipſum negotiationis præfectum, quibus nunciatur Luſitanos abſolutè rerum in India potiri, CC. nauibus mare vltro citroque peruadere, Turcæ copias male ibi multatas, illiuſque tyrãnidem tota India depulſam, ideoque ſuſpicari Dium à noſtris expugnatam, certo tamen neſcire. Luſitanum nomen Turcis eſſe capitaliter odioſum. Ipſorum tyrannum, qui rumor heic etiam creber eſt, ad haſce vindicandas iniurias, ſibi à noſtris hominibus inlatas, feſtinare, atque adeo cum Pannonijs, ob id pactas inducias. Id ſi verum eſt, neſcio me hercules, quando opportunius Chriſtiani principes, ſi religioni

deesse nolint, ecclesiæ ruinas vindicarent. Nam hostem pluribus locis impetitum, nemini dubium est infirmiorem multo, quã fuerit huc vsque futurum. Atque vtinam Europa tumultibus his, & intestinis dissidijs in melius compositis, tantillum ad se colligendam respiraret, spes erat rempub. ex conlapsa restitutum iri, eaque vulnera curari posse, quæ nuper adcepta maiori cũ dolore recordamur. Nam spem recuperãdi Græcorum, nę iam Asię, Libyęq; dicam, imperium, regum aliorum in alios inuidia, & rerum inter se publ. discordię, mihi omnino ademerunt. Sed hæc ad musarum candidatos nihil. Vale. Louanij XI. cal. Iul. M.D. XXXI.

FINIS.